NAZ.
sie III
I X
3

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
123
NAPOLI

Poeti Latini

~~Scanz. 22 N.° si fu~~

Scanzia M. num 3 libro si
Segn.° 15

DOMINI

GVILLELMI SALVSTII BARTASII,

Poëtarum noſtri ſeculi facilè Principis,

HEBDOMAS II.

À SAMVELE BENEDICTO M. D. Latinitate donata.



LVGDVNI,

APVD BARTHOLOMÆVM VINCENTIVM.

M. DC IX.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI
BIBLIOTECÆ CAPUCCINORUM CONCEPTIONIS NEAPOLIS

AD
ILLVSTRISSIMVM
PRINCIPEM DELPHINVM
CHRISTIANISS. ET INVICTISS.
HENRICI IIII. GAL. ET NAVAR.
REGIS FILIVM.

QVI operi cuipiam ſe ſe addicunt, certũ ſibi ſolẽt proponere ſcopũ (PRINCEPS ILLVSTRISS.) Quibuſdam ludicer ille eſt, & iocoſus: quibuſdam verò ſerius, & grauis. Qualis mihi hoc in opere fuerit, cùm primùm adumbraui, primámque manum adhibui, vt ingenuè fatear) fuit mei ipſius cũ delectatione eruditio. Nam cùm multis nominibus Bartaſij lectione plurimùm delectarer, qui tot

naturæ arcana, imò vniuerſam rerum naturam iucunda eximiáque ſcribendi ratione nobis, & poſteris aperuerit, nihil tam potuit pellicere, vt labori huic indulgerem, quàm horum octo ſecundæ ſeptimanę cum propoſito vitæ meę inſtituto librorum affinitas. Nihil enim in tota arte medica eximiũ, quod inibi ſummus ille vir nõ delibarit: ita vt in eo quem Furiarum nomine inſcripſit libro, totius Pathologiæ cõpẽdiũ, nec ſine exquiſita methodo complexus eſſe meritò dici poſſit. Si autẽ primus ille animi impetus, nec ſine cauſa huc pellexit, in ipſo libri limine nouos ſuffigere debuit, & reuerá ſuffixit ſtimulos, méq; laboris tædio eripuit (neq;.n.in tenui labor erat) quòd inclyto Regi Henrico peculiariter ſit inauguratus. Quid igitur mihi hodie ſub tam fortunato

timeam

timeam patrocinio? Verùm habitu natiuo, & veſte patria librum hunc tanto inquient Regi commendatum. Fateor maximum huius ſeculi ingenium, quod æternæ gloriæ opus dicabat, Maximo Regi, & per facinora, præclaréque geſta immortali futuro conſecrare debuiſſe: ſed cur eidem alio veſtitu incedenti ſua laus denegetur non video. Nemo neſcit quibus honoribus illi excipiãtur, qui magni nominis authores in humani generis commodum, & emolumentum alio ſermone nobis tradiderũt. Quid nobiliſſimo illi Lermæo his temporibus contigit ex primæ Saluſtij noſtri hebdomadis verſione omnes adhuc audiũt, qui monumentum ære perẽnius à doctis omnibus exegiſſe cenſeatur. Cur inquã mihi gratia aliqua non habeatur minimè video, qui quod

in authore noſtro maximè arduũ & operoſiſſimum fuit, cothurno ornaui peregrino, atque antea Galliæ forſan limitibus cõcluſum, omniũ hominum oculis ſubijcio. O vtinam pari cum typo dignitate! Verùm cùm lanuginis primæ ætatis ſit fœtus, faciliùs mihi condonatum iri ſpero. Iudicium ergo doctis & beneuolis relinquo: quos tamen non tam mei rationem habere rogatos velim, cùm aliquid ætate illa dignum deprehenderint, quàm imperioſæ quæ apud me eſſe ſolet amicorum hortationis, quæ fœtum hũc noſtrum diutius occultari non permiſit: ab vrgentioribus enim iam dudum reuocato, ad hoc ſcribẽdi genus animum appellere non licet, vt me iuſtum laboris huius iudicem cẽſere debuerim. Te autem hîc cõpello (PRINCEPS ILLVSTRISS.) & quod

quod Parenti tuo aliàs datum, dicatumq́;, & ſub illius authoritate luci commiſſum fuit, luci tuæ parum immutatum reddo. Tu enim paternarum virtutum, & honorum hæreditatem tibi iure vendicas, quippe qui non inferiora nũc etiam polliceris: cuius tenella hæc ætas, imò ipſa etiã exordia, æqualia augurantur. Alcidem eo nomine maximis laudibus extulit antiquitas, quòd adhuc in cunabulis iacens geminos angues à Iunone immiſſos eliſerit. Quid ſi hodie priſci illi reſurgerẽt, & luce noſtra fruerentur, in quem heroum numerum te adſcriberent, qui nondum aëris libertati prorſum vindicatus, ex vtero erumpẽs materno, trepidationem terræ feciſti? heu! quanto robur hoc, herculeum illud ſuperat. Naturalibus & humanis viribus præſtitit quæcunq;

præſtitit: ſed tu diuino quodam robore,&metaphyſica virtute terras, imò remotiſſimas aduentu ſolo domans, concutiénſque à ſede ſua deturbaſti. Natalem horã inſigniuit inſignis terræ mot⁹. Quẽ aduenientem tellus, aut vt ſui domitorem horruit, aut potiùs hilari trepidatione choreas celebrans ſalutauit, cur nõ hodie totus mũdus ſuſpiciat? cur non eidem vniuerſus orbis maxima ominetur? cur denique non æqualia cum parente, imò dicam maiora illi ſperet? quamuis maiora, ſi virtutem ſpectes, nemo, hominum nemo præſtare vnquam potuerit, nec inpoſterum poſſit: ſed maiora reuera ſi imperium. Fœlix enim ille, & ad diuitiarum altiorem gradum peruenire ſolet, qui à parente hæreditatem accepit, quam ipſe parens litibus implicitam enodarit, & liberarit

berarit. Non ſecius, quis tot ciuilium bellorum, tot tempeſtatum olim regno motarum teſtis fuit: quis ſummum illum HENRICVM in mediis prælijs ſtrenuè dimicantem, exercitui generoſo fortiter præeuntem vidit, aut audiuit: quis nũc pacificè ſedatis vndique procellis regnantem, ſed regiè regnãtem videt: quis theſauros innumeros & arma fulminea in tui tũtelam parantem, ſubditorum omnium ſummiſſos & beneuolos animos clementia præcipuè, ſibi, tibíque deuincientem aſpicit, qui inter tranquillas olim regni tui habenas, ſubditorúmq; obſequia, maiora tibi inde regna parari non agnoſcat, & fateatur? Denique quod tempus in hæreditario regno ſibi, tibíque vendicando Parens tuus collocauit, tu in aliis parandis, & hæreditario adiungẽdis

in poſterum. Præterea, quis in meam pedibus non eat ſententiam, qui longos cum diuina ope Regis annos, ex firma, & verè regia ſacri eius corporis conſtitutione, præuidet: qui ſedulam eius in te inſtituendo operam, & ſtudium animaduertit: nẽpe qui iam eruditionem tuam maximis vndiquaque viris, & reuera te dignis commiſerit? Scit enim quantùm reipublicæ interſit, imò & regibus ipſis, ingenuos illorum animos ab ineunte ætate liberalibus imbui diſciplinis, & regiis illuſtrari moribus. Namque ad eximiam (qualem DEVS OPT. MAX. tibi largitus eſt naturam) ſi doctrina & eruditio acceſſerit, neſcio quid ſingulare inde ſolet emergere. Vnde olim Paulus Conſul deuicto Perſeo nihil impenſiùs ab Athenienſibus efflagitauit, quàm vt Metro-

dorum Philoſophum Carneadis auditorem liberis ſuis præceptorem mitterent. Atque ipſe Philippus Rex Macedonum ſummo ſtudio, ac fœliciter Alexandri inſtitutionem ſummo illi Ariſtoteli commiſit. Nec Paulus Æmilius hîc ſilentio prætereundus, qui tota Macedonum gaza victor potitus, ex tam opulenta regis præda, nil præter duos libros ex regia bibliotheca accepit, quos filiis ſuis dono dedit. Quid? ſi bene inſtituti Reges & Monarchæ ab omni æuo doctrinas, literatos, libróſque tanti fecerũt, verear ego tibi, qui maiorum more erga literatos ſtudiũ polliceris, librum hunc tradere, tuóque auſpicio committere, quẽ iam antè tibi tanquam hæreditario quodam iure aſſerere potes & debes? Te ergo ſupplex oro (Princeps Illvstriss.) vt opus noſtrum

fa

fauenti dextra ſuſcipere digneris, & quam Rex meritis Saluſtij, dum in viuis eſſet, beneuolentiam largitus eſt, eam mihi conferas, qui libello hoc ſubiectiſsimi erga te animi mei teſtimonium exhiberi cupio, qui tenellum adoleſcentiæ fœtum conſecro, & quos ætas ſequens ſuggeret ex animo voueo. Bene vale, & annos viue Neſtoreos (PRINCEPS ILLVSTRISS.) Diæ, Calend. Auguſt. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nono.

Tuæ Celſitudinis ſeruus obſequentiſſimus,

SAMVEL BENEDICTVS.

AD
VRANIEN SVAM
BENEDICTVS.

EPIGRAMMA.

Nympha, Aganippæis, heu! iam diuulſa fluctis,
Audes immenſò credere fila ſalo?
Parce procelloſæ præcox dare carbaſa turmæ,
Heu! feruent tumidis cita pericla vadis.
Ah mihi Nympha precor, precor ô mihi parce moranti,
Frænant Aeolios hæc tua fila notos.
Præcipitem mediis dedat te nauta procellis,
Inuideátque bono turba ſceleſta tuo.
Metra tibi ſuperant, ſuperant Arionis artes,
Nec Delphin priſci non memor officij.
I nunc, & plenis aude nunc tendere veiis,
Carpere & ignotas per mare Nympha vias,
Soſpes eris, portu dabitur ſuccedere, Delphin
Ecce tenet noſtri dulcia fræna ſali.

In Samuelis Benedicti Latinam paraphraſin, ſecundę Hebdomadis Gulielmi Bartaſij.

Γαῖαν ἀπειρεσίην, ἄστρων θέσιν, Ὄλυμπόν τε,
Ἠελίοιο φάος, κυάνεόν τ᾽ ἔρεβος.
Ὕδατ᾽ ἄνω, τὰ κάτω, πουλύφλοισβόν τε θάλατταν,
Κρήνας, καὶ ποταμῶν νάματα ἀργύρεα,
Δένδρεα, ἠδὲ πόας, καὶ ζώων ἔθνεα πάντα,
Ἱπταμένων, χθονίων, κ᾽ εἰν ἁλὶ νηχομένων.
Καὶ μέροπας, μερόπων τ᾽ ἄταν καὶ πνεύματα δισσὰ,
Λατρεύοντα θεῷ, τόν τ᾽ ἐπὶ πᾶσι ΘΕΟΝ.
Βαρτάσιος, Μουσέων τὸ μέγα στέμμ᾽, ἄεισεν, ἀνάπτων
Τῷ κλίσῃ πάντων κῦδος ὀφειλόμενον.
Ἀλλ᾽ ὁ μὲν αὐθιγενεῖς μοῦνον κηλήσατο μέλπων,
Γῆρυν ἱεὶς ᾠδῇ Κελτίδα Κέλτος ἐών.
Βαρτασίειο πόνον Σαμουὴλ κοινώσατο πᾶσι
Τοῖς αἰσθανομένοις Ῥωμαϊκῶν ὀάρων.
Βαρτασίῳ δὴ ὅσσον τὸ πάρος πάτρις κλέος ὦφλε,
Τόσσον νῦν κόσμος σοὶ Βενέδικτε ὅλος.

ISAACVS CASAVBONVS.

Hebdomas Bartaſiana Latinis verſibus illuſtrata, de auctore ſuo & interprete.

Bartaſius patrio cultu me veſtiit, & mî
Natales primos, primáque iura dedit.
Aſt modo Patricio gradior ſpectandus amictu,
Romuleam bracchis & ſuper addo togam.
Dicite, lectores, mihi num popularis amictus,
An mage Romanæ congruat vmbo togæ.

G. Crittonij Profeſſoris
Regij Lutetiæ Parr.

Fatidicum carmen in idem opus.

Galla Saluſtæo gaudebat Muſa cothurno
Pierias inter ſocias Helicone refulgens,
Cùm Romana ſoror tantos mirata lepores
Inuidit, rixáſque parans: Itan' ergo ſuperbos
Spreta feram faſtus, & deſpectata ſilebo?
Gallia non vincet Latium. Tum Iuppiter alto:
Ponite rixantes animos, mea cura, Camœnæ.
En vobis, nec vana fides, labentibus annis
Surget Apollineo vates de ſanguine cretus,
Qui Benedictus erit, bene vos qui fœdere iũget:
Ille dabit Latio Gallum decus, & nouus olim
Inter vos, dilecta cohors, regnabit Apollo.

Steph. Gilberti. I.V.D.

ANAGRAMMATISMVS.

SAMVEL BENEDICTVS AD BARTASIVM.

Hactenus vna ſuum te Gallia nouit alumnum,
Obſtupuit gazas Gallia ſola tuas.
Hactenus expoſitæ regio fuit inſcia tædæ,
Teutonicus vaſta quam luit amnis aqua.
Hactenus hic nitidi Phœbus iaculamine teli
Ad Thamiſis nitidas non penetrarat aquas.
Defuit in media qui poſta repelleret ora
Nubila Apollineis inuidioſa comis:
Defuit occluſam tanti qui proderet arcam
Theſauri, occluſas qui reſeraret opes.
Defuit & Gallo nimium quæ digna cothurno
Traderet Auſoniæ mellea metra lyræ.
At ME vẽturo, SVDANTE coruſcus in æuo
LVCEBIS: media nubila pello plaga:
Tu quà ſe tellus extremis ſubtrahit oris
Expones rutilas, ô radioſe, comas.
Iam duce me luſtras extremos orbe Britannos,
Et cluis Heluetica conſpiciendus humo.
Magnus & egelidã defert iã Rhenus ad Arctõ
Doctior eloquij flumina magna tui.
Nec negat Hiſpanus conceſſæ lumina tædæ:
Latè Tybrinum ſpargeris vſque ſolum.

Tu me luce tua iam circumfunde viciſſim,
Muſa ſerenauit quam ſtudioſa tui,
Quam ſtudioſa tui totum diffudit in orbem:
Vt par & toto viſar in orbe comes.

BARTASIVS
AD BENEDICTVM.

Pro tanto dignas grates ſudore referre
Non noſtræ, fateor, mi Benedicte, opis eſt.
Quæ mea metra rudi cantauit pollice quõdam
Barbitus, & Gallis parca legenda dedit,
Doctus retractas, fidibúſque repoſta Latinis
Gentibus innumeris vſque fruenda dabis.
Ad quas quæ lenis nomenq́; decúſque perenne
Aura tuum hæc eadem deferet aura meum.
Felices verſus felici ſydere verſos,
Queis nunc acceſſit luxq́; lepórque nouus.
O mea victuros æternùm lambat, & illis
Sedula fingendis incubet Vrania.

IDEM.

Quàm bene de Galla Bartaſi gente mereris,
Cui fœtus pandis fertilis ingenij,
Tam bene de toto terrarum hic orbe meretur,
Noſtrates reſerat cui Benedictus opes.
Ergo vtrumque caput merita redimite corona,
Orbis grate tui, Gallia grata tui.

Io. Vvlso la Colombiere.

Ad Samuelẽ Benedictum, Carmẽ.

Vnda Bartaſium Caſtalia, ſacer
Imbutum penitùs Pieridum chorus
Aſſumpſit ſibi prolem, &
Vatem conſtituit ſuum,
Indulsítque libens quælibet ardua
Cantu flexanimo promere pectore
Diuino, & iuuenilis
Phœbus ſubſtituit ſibi:
Cernens ſe imperio, amplis & honoribus
Auctatum, redimit tempora laureo
Serto, teſqua Heliconis
Muſas linquere compulit:
Captiuáſque in amœnam patriam tulit
Ornatu rutilas, ſed bene Gallico
Henrici obtulit aris
Teſſellam in memorem offici.
Nunc ſurgit Benedictus titulo ſacer
Ipſo, qui Aonidum eſt non minùs oblitus
Vndis, atque Sacerdos
Arcanis populum rudem
Defendens, Latios Bartaſium modos
Arguto docuit plectere pollice,
Conſecrátque togatum, vt
Teſtem perpetuum offici,
Creſcenti Hectoridum gloriolæ *ſata*
HENRICO genitore, hæccine comprobant

Par Phœbeus amor, par
Mecænas, parile & nouem
Erga vtrumque ſororum ſtudium, coma
Tum lauris pariter culta virentibus
Migrauiſſe animas: nam hic
Manes poſſidet illius.

Io. Scharpius T.P.

ALIVD.

Carmina ſacrato quondam quæ percitus œſtro,
Et vigili panxit cura Bartaſſius olim
Gallia miratur, tanto lætatur alumno;
Scilicet illa ſibi proprios quæ ducat honores,
Quos chorus Aonidum nato conceſſerit: vnum
Ægra tulit, toto quod tanta poëmata mundo
Digna, ſuo infelix arctaret limite: tandem,
En, Lermeus ait, ſortem tibi mater opimo.
O pia ſollicitas mater depone querelas,
Filius alter ego fili diffundo per oras (illo
Nomen ego innumeras: ſed nunc venit alter ab
Auctius inſpergat qui Gallia nomen in omnes,
Machina quas vlnis mundi cōplectitur, oras.
Gaude ſorte tua: bifido de vertice montis
Hucce nouena cohors, doctæ venere ſorores,
Adſciríque nurus cupiunt tibi Gallia. Gaude
Sorte tua, & redama materq; ſocrúſq; (amœnas.

Iſ. Feraldus.

ALIVD.

Splendida qui vaſti, Benedicte, palatia mundi
Irradians, radio nobile condis opus,
Num Phœbi proles? nũ tu Grynæus Apollo es?
Aut ſi quod maius turba colit Charitum?
Romana quòd veſte, tuo, SALVSTIVS exit,
Munere: quòd cingunt laurea ſerta caput:
Quòd ſacrum inſpiras diuâ virtute furorem,
Quo ſuperat celſi lucida regna poli:
Proprio Apollineũ nutris quòd nectare fœtum,
Illinis & Latio guttura blanda fauo,
Non Phœbi proles. Ergo Grynæus Apollo es,
Aut ſi quod maius turba colit Charitum.

I. STECKIVS Philoſophiæ Profeſſor, ſacra Cæſareæ Maieſtatis authoritate Orator, & Poëta coronatus.

ALIVD.

Non inopina meam rapit admiratio mentem
Quòd tibi diuinum nectar ab ore fluat.
Cùm tibi diuinum ſit nomen, ab omine rebor
Nõ niſi diuinos te dare poſſe modos. (ab illo
Eſt SAMVEL BENEDICTE *tibi prænomen,*
Tunc diuina canis, cùm Benedicte canis.

Muſa

Muſarum noſti rupes,& Apollinis antra,
Sylvarum Nymphas,ſyluicoláſque Deos.
Ingenio cœli ſpatium comprendis,& aſtra,
Et ſuadela tuo ſemper in ore viget.

I. F. Vicecomes.
Philoſoph.Prof.

ALIVD.

Quod cœpit Lermæus opus ſub imagine ſummi
Artificis,Venerem Cous ceu pinxit Apelles:
Hoc peragens BENEDICTVS *opus tentare, figuram*
Exprimit adſimilẽ Veneri vocémq; colorémq;:
Ut ſummè nequeat Vaſco SALVSTIVS *eſſe*
Nec dici Benedict⁹,eo niſi COMPLEMENTO,
Virgilio minùs accepto muſiſque Latinis
Quòd videant prærepta ſibi diademata laudũ
A Phœbo monſtrãte viam,qua fertur ad aſtra,
Qui Benedicti ambire cupit noménq; decúſq;.

BENEDICTI
cum Lermeo
Σύγκρισις.

Vterque eſt mihi Maxumus Poëta.
Verùm quòd B I D V O Duis librorum,
Quot ille HEBDOMADE explicauit vna,
Tu MAIOR mihi MAXVMO Poëta.

IDEM.

Ὁ ΜΕΝ εὐλόγιςος ἐςὶν ἀυλὸς ἑρμαῖος,
Ὁ δὲ Εὐλογητὸς ἔν τὶ ἀυτὸς Ἑρμείας.

Ianus Draco Philologiæ
Profeſſor.

ALIVD.

Ergo ne in anguſtis Gallorum finibus errans
Sacrati vatis ſacra poëſis erit?
Quin potiùs duce te fidóque interprete, terras
Viſet, quas rutilans luſtrat vterque polus.
Pérque omnes pelagi tractus, terraque receſſus
Tutam corripiet te comitante viam.

Sic

Sic diuus vates dum famam acquiret eundo
Fama ſimul creſcet nominis ampla tui.
Vnica nec mirum ſi gloria cedat vtrique:
Vnica cùm moueat mens vtriuſque chelym.

Ioan. Guerinus.

ALIVD.

Gloria Vaſconici totum memoranda per orbem
Vatis, in Auſonia conſiluiſſet humo:
Ni Benedicte tuæ facundia mellea linguæ
Illius eximium nobilitaſſet opus.
Iam quacunque patet, patuitque potētia Romæ
Priſtina, perpetuò nobile nomen erit.
Mirus hic arte labor, miro quoq; digna labore
Tu ſacer à ſacro vate poëta feres. (oras,
Namq; per innumeras dum fama vagabitur
Huius ab innumeris laude ferere viris.

Petrus Babatus.

ALIVD.

Ingentem & nitidum, nil admirabere, fœtum
Mons Helicon longum parturiens peperit.

Iac. Dixius.

Il eſt permis au Sieur B. Vincent faire imprimer le preſent liure, auec defenſes en tel cas requiſes. Faict ce 29. May. 1609.

SEVE.

GVIL. SALVSTII
HEBDOM. SECVNDÆ,
DIEI I. LIBER I.
SEV HEDEN.

SVMME Deus, qui vaſta mihi primordia mundi
Pandiſti, cuna quales, infantia qualis
Dic fuerit: latos animum conuerte per orbes
Floribus hortorum halantes, quà viuidus error
Bis geminæ ſerpebat aquæ; culpámq; Parentem
Dic mihi quæ primũ, & ſobolẽ genialibus Heden,
Expulit: Immortalem illum mortalibus vltrò
Addictum pœnis, ſperatam ex arce tonanti
Qui tulit antidotum nobis, da dicere: cantu
Da celebrare meo quales Eccleſia ſortes
Suſtulit, & Regum ſeriem. Concede ſepulchro
Reddam cuncta ſuo: da narrem Sabbatha prima
Vſq; ad poſtremam ducto ſermone quietem.
Immenſum hoc fateor, fateor ſine littore littus:
Te tamen optatum, ſacer ô Nauclere, magiſtro
Deferar in portum, tibi quo mea ſoluere vota,
Conſtituique madens tua dicere munera cantu.
Floſcule nate ſacro Galli de caudice lili,
Fortis Alexandri iuuenem quem æqualia ſceptris
Sceptra manẽt, ſectare viã modò lumine dextro,
Parce fatigatæ diuerſo tramite pennæ,
Quæ ſtudioſa tui captet ſublimia iuſſi.
Sic olim ſurrepta tibi tua ſceptra Nauarræ
Aſſume, & veteri rurſus redimire corona;

Sic vicinorum ſemper decus eſto,tuæq́;
Gratus amor gentis,diri tremor horridus hoſtis.
Sic in te verſis nunquam cœleſtibus iris
Viribus Aeterni fruere,& duce numine Sancto
Sic ego,obarmata fulgenti cuſpide dextra,
Vndique cæde rubens,poſſim victricibus armis,
Pulnereúſque tuo lateri perrumpere adhærens
Hiſpanas acies,inimica inuadere aperto
Mœnia marte,graues mox te victore triumphos,
Et me Virgilio memori committere chartæ.
Qui Deus exorti mundum moderamine torquet
Haud tantùm telluris Auo committit habenas,
Squammoſumq; genus pinnis ſpumoſa pererrans
Aequora,in vmbroſis & quæ ſtabulantur eremis,
Et vaga ſubiiciens,quæ ſe per inania flexu
Alarum dubio librant: ſed clima retuſis
Triſtibus extremis,quod Chloris odora colore
Purpureo florum fœcundò vere pauiuit,
Quod Pomona parens iucundis fœtibus ornat,
Spiritibúſque leues Zephyri fragrantibus implent,
Illum habitare iubet,quo certa per interualla
Lineat,excultos nemoroſo tramite,xyſtos.
Induit arboribus montes,& meſsibus arua.
Inuitat querulo riuorum murmure ſomnos:
Splendida tecta fodit nocuo non peruia ſoli,
Hortum limitibus directis quadrat ad vnguem:
Conſerit arboribus,mundat,colit alma vireta
Viuidæ inextincto formæ conſperſa nitore,
Inſtratam faciem dat mille coloribus agris,
Atque alios alio ſacros locat ordine fluctus.
Audaces vos qui verſu immortale profano
Nitimini vates fuſcis velare tenebris
Immortalis opus,veſtris excludite campos
Verſibus Elyſios,ſunt hæc figmenta ſacratis
His educta typis,obſcurus imagine ſola

De

Deludens ab auis peruenit nuntius ad vos,
Cum Deus arte ſacrum meliore peregerit hortum,
Hos ego ſi cęlum ſemper ſpectaſſe ſereno
Cantaro vultu campos:prędulcia ſaxis
Mella refuſa canis;almi vaga flumina lactis
Iſſe ſolo: roſeum rutam ſpiraſſe vaporem,
Atq; dediſſe omnes omni omnia tempore terras;
Indolis innumeros varię nutaſſe ſub vna,
Ac ſine fine cibis maturos arbore fructus:
Gramen amaricie vel acore inamabile pomum,
Iucunda occiduę dulcedine mella Maderę,
Viribus Indorum balanos vnguenta parantes
Æquaſſe,& nullis obnoxia corpora morbis
Suffulſiſſe patrum ſucco probiore,guloſus
Quàm quę mille modis tot condit fercula luxus,
Quàm ſub diuerſis quęſita cibaria cœlis,
Vndosóq; feri deprompta volumine ponti,
Non quibus ingluuiem ſatiet,ſed prouocet arte,
Accenddıque magis,blanda magis excitet eſca.
Si matutina viridantia gramina manna
Dixero non tenui rorum maduiſſe liquore,
Nec rapidos fluuiis vitreum fœdaſſe madorem
Torrentes;fluuios dulci ſuperaſſe ſapore
Vitigenum laticem,qui littora Cerathea
Nomine nobilitat:Lauri ventura canentis,
Idalię myrti,victricis robore palmę,
Seruaſſe ęternum ſyluas hic frondis honorem:
Pondere conuexo nutantes vndique ramos
Frondiferas ſtruxiſſe domos,vbi mille canoro
Ludere aues cantu,geminos contexere amores
Vidiſſes,ſimul & noctes volitare diéſque:
Illic Angelicis ſocialia carmina metris
Miſcentes,ceciniſſe Deo Pęana canorum,
Et conceſſa Patri fœlicis munia vitę.
Nam ſua adęquabant Chloreus,Bubóque,Coráxq;

Tum Pandioniis feralia metra querelis,
Edebat Philomela ſonos, queis Thracius Orpheus,
Queis Linus, Amphion, citharáque inſignis Arion
Ludebant, Gaudens ſyluis, atque aëris Echo
Filia, quæ populo reddit reſponſa petenti,
Nec tamen alloquio ſcit compellare priore.
Quæ verbis quoties petitur, data verba remittit,
Nulla potens, & nulla volens reticere, ſonoros
Illic miſcebat cantus, alterna ſubinde
Alternis vicibus pſallebat cantica; & illic
Muſica regnabat: ſociabant murmura ripæ
Vocibus exanimum, viuentum vocibus illic.
Si neque feruentes remeanti dixero curſu
Aeſtates illuc Phœbum duxiſſe, nec atras
Impreſſiſſe fugis hyemes, nituiſſe ſed vno
Floricomas valles, & prata virentia vere:
Nec ſenſiſſe graues auſtrinis nubibus artus,
Nec ſæuis validum riguiſſe Aquilonibus Adam:
Sed lenes Zephyros Aeterna conſita dextra,
Inter odoratæ ſpirando arbuſcula ſyluæ,
Corporibus vires, viridantia gramina terris,
Graminibus flores, & odores floribus almos
Infixiſſe, ſuos impertiuiſſe diebus
Noctem almam rores, nocti ſua lumina ſoles,
Non conculcatas glaciali grandine meſſes:
Non niue, non horrente gelu, ſenuiſſe nec alba
Tellurem glacie: nullóque dehiſcere montes
Turbine, nec viſam ſæuis macreſcere terram
Imbribus: at pingui denſos miſiſſe vapores
Viſcere deciduo quorum dein rore maderet.
Non credo carmen mendax: pudet, ah! pudet vnum
Pauperie indocta titubantem dicere Muſam.
Si cupis hanc vno complecti carmine laudem,
Heden terrenus, dic, eſt cœleſtis imago,
Quo Deus ipſe ſacri ſubiit (mirabile dictu,)

Colloquij cum Patre vices, atque agmine denſo
Ætherei adſtabant pluma pernice miniſtri.
Anxius at placidi ſedem fuge quærere clauſtri
Siue Deus poſuit prærupto in vertice montis,
Lucida noctiuagæ tangat qui cornua Lunæ:
Vel tegat Aequator; vel ſtet Babylonis ad oras;
Siue Deus clari ſtruxit Titanis ad ortum:
At ſedes quibus ipſe Deus præfecerat Adam,
Noſſe ſat eſto tibi placida tellure locatas,
Qua Gion irriguus, quâ dulci murmure Phiſon,
Qua ſe voluebant fœcundæ Tigridis vndæ,
Et famoſa nurus ingentis mœnia Beli
Præſignis lento fluuius qui flumine lambit.
Quin ſi rimanti nullo tibi cernitur orbe
Reſpondens ſpecie ſedes fœlicibus iſtis
Sedibus, & nulla pateant regione ſacrati
Vndarum fluxus, ſpatiis ne includito terras
Omnes, quas refluo circumligat æquore Nereus.
Quæritur his vana ſeclis indagine clauſtrum,
Quò fauor induxit quondam, ſcelus vnde nefandũ
Eduxit primos homines, vbi ianitor ipſo
Limine fulmineus rutilum rotat Angelus enſem.
Non allegoricus, fictus ve, aut myſticus hic eſt
Hortus, quem ſacris Moſem pinxiſſe libellis
Conſtat, terrenus locus eſt, vbi copia cornu
Et fœlix Charitum ſedes: phantaſticus Ada
Deſinat eſſe, tibi ne ſint phantaſmata victus
Illius inflictaq; graui pro crimine pœna.
Eſt typicus, dicunt, non gnaris inſtar aſyli
Senſus, & hic fatuo præſens tutela, ſaluſque,
Maximè & omiſſo ſi corpore carpitur vmbra.
Vel ſi coniector rebus dare vis momenta,
Vltricem vaſtum potiùs quæ diluit orbem,
Agmine crede vndam rapido nec dulcibus hortis
Innocuam, loca quæ ſceleri ſint conſcia primo:

At paſſim vulſiſſe ſolo radicitus herbas:
Floribus ambroſios varijs ſtinxiſſe vapores:
Et ſterili fluctu, gemmantes vbere campos
Terra inundaſſe; hortorum ſimul omnia latè
Vaſtaſſe incęptas & foriè nitentibus vndis
Peruertiſſe vias: vel lubrica tempora lapſu
Inſtabili, ſua dum renouant ludibria rebus
Humanis, mutant, delent, & nomina fingunt,
Indi fluminibus potuiſſe aliena ſacratis
Nomina: quin vereor cùm nos noſtra expulit iſtis
Culpa locis, ne mox poſitúſque & forma locorum
Fugerit immemores, quibus orta obliuia victus
Quem Deus vmbriferis dulcem conceſſerat hortis.
Nectareis autem ſeruabant corpora ſuccis,
Dextera frugiferos quotquot diuina locarat
Diſperſim ſacra truncos tellure: duobus
Fas animum ſeruare fuit; ſuæ pabula cuncti
Sponte dabant, ſacrata duo myſteria tantùm.
Hinc arbor ſtabilis venerando nomine vitæ
Altera dicta Deo, miſeris, heu nomine vero!
Fraus ſtetit euentum: certo tamen omine nomen,
Ni pater à iuſſo deſciſſet tramite primus:
Nam velut intactos ſeruabat peſte parentes
Hic circumfuſo locus aëre; ſic ſacer ille
Perpetua fructus, pugnantes corpore ſuccos
Pace ligaſſet, iter ſenio fregiſſet iniquum,
Æternumque vias turmis clauſiſſet acerbis,
Quæ modò nos celeri, ducunt modò deſide paſſu
Infeſtam ad mortem. Cœlis data planta, venenis
Antidotúmque potens, ſterili nunc cernitur orbe
Quis caudex, quis flos, vel quæ nunc cognita radix,
Quis fructus, qualisúe lapis, vel quale metallum
Verſibus indulgere auſim cui præmia laudis,
Quam tua promeruit ſoboles decus orbis opimum?
Quas vires docti noſtris mirantur in herbis

Vni

Vni ſunt medicina malo, medicamine torquent,
Torquentes, triſtiq; mora mage diuite nummo
Inſtructas viduant arcas, quàm corpora morbis.
At fœtus arcana tui vis, alma facultas
Abſque mora quodcũq; malum, ſine ſumptibus omne,
Expellit morbos, fugat abſq; dolore dolores:
Fallor, vt egelido reuoces humana ſepulchro
Corpora, non morbos ſanas, venientibus obſtas.
O ſancta antidotus, celebris tu Momia forſan,
Magnum opus, Elixir magnis quem ſedula ſeclis
Alchymia exquirit? Gelidum non-ne Æſona nato,
Mirum reſtaurans, iuniorem tempore in vno
Feciſti? Vel tu, Superûm quod fundit in aula,
Nectar es, effundens Hebe ſe in pocula diuûm?
Cœlicolûm cibus Ambroſia es tu forte? Vel arbor
Quam nemore aurifero cuſtos draco peruigil, atros
Faucibus eructans ignes noctúq;, diúq;
Virginibus trinis ſeruabat? fortè vel ipſum
Moly potens, Ithaco cœli quod nuntius adfert?
Nepenthes vel eris quod triſtia pectora mulcet?
Sponte decúſque tuum fateor, noſtrumq; pudorem,
Odorum perdulce poli, cœleſtis origo,
Culte magis noſtris animis, quàm cognite fructus.
Altera Notitia arbor erat, ſic nomine dicunt:
Non quòd ab innatis valuiſſet acumine mentes
Viribus obtuſas hominum donare: vel illa
Poſſet in æternum momento ornare fugaci
Artibus ingenium doctis. Doctura parentem
Arrha erat, & fidus teſtis, ſacrumq; ſigillum,
Si quando inſtabilis proprios vertiſſet in vſus,
Quantùm diſſideant pax, & diſcordia; quantùm
Numinis ira, & amor; lethum, tranquillaq; vita:
Virtus, atq; dolus; ſæuus dolor, atq; voluptas:
Quantùm humilis cultus, tumidúsque rebellio faſtu.
Non orbarat enim rationis lumine ſancto

Tempora prima Deus: quin illa ſcientior ætas
Noſtra vel innumeris ſuperabat ſecula donis:
Lumina & humani, cæcæ caliginis vmbra,
Pectoris ignarus nondum perſtrinxerat error.
Hinc vnum hoc ſe ſcire nihil quod ſciret, Athenæ
Dicentem audiuere Sophum: creperóque volutans
Cuncta animo inſcitia Pyrrho fuit inſcius; atro
Verum Democritus merſum dicebat abyſſo.
O fœlix, bona fœlici qui norat ab vſu,
Expertus mala qui nuſquam mala norat, vt olim
Nouerat (vt perhibent) Cous, qui motibus ægris
Brachia iactatus nunquam, nullúmque tumorem
Faucibus accretum, nunquam deliria paſſus,
Spaſmos, Anginas nouit, rabidáſque Phreneſes,
Et mille abſimiles morbos, qui luſtra peregit
Annis cum quatuor bis dena immunia morbis:
Aut afflante Deo: quali ratione futuros
Euentus olim ſacri dixere Prophetæ,
Sacrarum quia mens rerum ſuprema figuras
Mentibus illorum calabat, & abdita cœlo.
Adde quòd it noſtris comitata ſcientia ſeclis
Intenſo nimis ingenio, vitáque caduca,
Subtriſti vultu, vieto mœroribus ore.
Peruigili curarum æſtu, ſerieque laborum,
Quæ fuit antiqua creſcentis origine mundi
Mentis mens, animi portus luménque coruſcum
Inceſſus recti: nulli que obſcura tenebris,
Infuſa, & nullo veniebat parta labore.
Rex autem aſtrifero mūdum qui fornice torquet,
Qui rerum prudens nequit in temeraria ferri,
Iuſsit in externas hominem concedere terras,
Et patria deduxit humo cùm ſaucia nondum
Crimine mens eſſet, demens ne dona fauoris
Crederet illa ſibi natalia iura, nec eſca
Mergeret in vetita dentem, fidúſque caueret

Depoſito cuſtos, & fœlix legibus illis,
Quas Deus addiderat praſcribens tempora dulci
Nulla mora, coleret terras queis duceret æuum
Non concultatus repetito membra labore,
At quibus effugeret ſordes ignobilis oti.
Otia nam mentes hebetant, & corpora ſoluunt,
Candorémque terunt animi; caſtiſsima luxu
Inficiunt corda, & pigro virtutis amore,
Atque dolos, artéſq; animis in crimina dictant.
Primus at ille labor crudele laboris anheli
(Quo grauis inſomni prorumpit corpore ſudor,
Atque æſtu defecta celer quatit ilia pulſu)
Tormentum nulla referebat imagine, iuſtas
Ada quod in pœnas, natique hauſere rebelles.
Hac tam diues erat fœcundo caſpite tellus
Traderet vt tantùm iucundo membra labori
Veſte carens Ada, edoctam quo proderet artem,
Nec reditus ſtudio, nulláque cupidine lucri.
Denique gratus erat labor hic, ſimiliſque labori
Saltantis, lætas qui poſtquam ſolis ab ortu
Duxit ad occaſum choreas; terrámq. ſubinde
Trippudiis, geminans ſaltus, percuſſit, eaſdem
Et choreas renouátque auidos ſub veſpere ſaltus.
Nec ſatiatus abit languerit quo membra labore.
Venantis-ve petens cantibus qui cœca ferarum
Hoſpitia, vt ſtabulum Ceruì cane nouit odoro
Vincla repentè citis ſoluit: clamoribus implet
Aëra: raucisono vaſtum ciet æthera cornu:
Irruit, accelerat curſus, tandémque recentes
Indefeſſus equos rigido calcare fatigat.
At quoniã hos claudit ludos labor irritus, humẽs
Sudor, defeſsis nocitura moleſtia membris,
Angelicis malim conferre laboribus, vſque
Cœlo qui nauãt operas blandéſque labores,
Curſibus aut [illegible] leuibus [illegible]

Mollis inextincto qui circumuoluitur orbe.
Nã conſpexit vbi radiantis lumina ſolis,
Admiratur Auus viridantia rura nepotum.
Nulla erat vmbriferos nam tum reſoluta capillos
Sylua gelu, nec tum feriebat fulmine miſſo
Ceruices hominum, nondumq́; indixerat alma
Fœderis iratum terræ diuortia cœlum.
Sed vix ingreſſus fœlicis limina clauſtri
Deſpicit, haud mirum, quicquid ſuperabat in orbe,
Qualis præteritum ſolis qui montibus æuum,
Syluis, armentis, & paſtor ouilibus egit,
Stramine qui gurdus contecta mapalia fuluo,
Anguſtóſq; lares fingit ſibi nobile regnum:
Qui varias quas dat famoſa Lutetia formas
Tot rerum inſpiciens miracu a, ſe putat orbe
Claudi alio, ignarúſque artes miratur inertes:
Templorum moles, & inexpugnabile robur,
Eſt quibus eximia ſpectata opulentia forma,
Alta fronte polos, & quæ pede tartara tangunt,
Suſpicit, atque hominum miratur diſſona linguis
Tot genera, atque habitus, veſtes miratur, & ora
Qui magnis acuunt curarum corda cateruis,
Atque vias refluis vndant diſcurſibus omnes:
Clamores, ſtrepitus, diuerſa negotia, gazas
Inſu tá ſque hominum miratur & obſtupet artes,
Miratur Sequanæ fluctus vaſto agmine naues
Montibus aſſimiles ſubeuntis: ſæpè volutans
Inſulſos oculos, aulam, regalia tecta,
Et miratur aquis glomeramina multa domorum
Incluſa, & pontes, at pontes vrbibus æquos.
Sedis enim correptus homo fœlicis amore,
Dormiat, an vigilet, ſpectro an ludatur inani,
An veras rerum deſpectet lumine formas,
Terra, polus-ve an ſint ignorat, & omnibus hæret.
Nihil niſi mirandum: longè hac molimine tanto

Ecſtaſis inferior: tenuem miracula mentem
Exuperant; ſtupet, atque aciem per ſingula voluens
Centum optat nares, centum aures, lumina centum,
Obiectos quibus & fructus, & commoda captet:
Neſcit enim plures oculus ſpectet-ve colores,
Accipiát ve ſonos auris, vel naſus odores.
At magis arrident commercia ſacra Parenti,
Quæ modò mens illi, variè modò corpus inibat
Numine cum ſupero, aſtriferũ quod vertat in axem
Sacrum Hedẽ. Namq; ille animus quã pura repurgat
Relligio, & ſyncera fides, hominiſque, Deique
Inter naturas ternam ſortitur. & idem
Mortem immortali ſociat; quod limite nullo
Clauditur immenſum, vaſo capit arbiter arcto.
Hac tu formipotens nobis cœleſtia Morpheu
Munera ſæpe refers; non quando immerſa vapore
Quo cibus & liquens neruoſo viſcere vinum
Conglomerata, petunt agitante calore cerebrum,
Mens ſibi mendaces effingit mille chimæras:
Nec quando malaci flauentis copia bilis
Ventriculi fundo aut pallens pituita redundant,
Vnde illud cædes horrenda incendia fingit,
Hoc rapidos animo montes inſculpit aquarum:
Nec quando in mentes Mens perfida repit, in illis
Somnia vana ciens, & ludit fraude cerebrum:
Nec quando pungens curæ ſtylus obiicit altæ
Menti ſollicitam lucis per ſomnia curam:
Principibus collecta ſed eſt cùm viribus in ſe
Tota anima, atque ſibi totam ſe vendicat, extrà
Vlla nec ad ſenſus radiatæ munera tædæ
Exerit, aſt in ſe penitùs reflexa coërcet:
Atque proceloſi lucis ſecura pericli,
Funere tranquillos dulci ſubit auſpice portus.
Cernit vbi interdum velata ænigmate, cernit
Interdum nullis incluſa futura figuris

Pectore diuino. Raptu maiore paratur
Hoc anima, quando vigilans in corpore, curis
Corporeis exuta ſibi conſtipat in vnum
Diffuſas vires, nec motus artubus vllos
Dat moribunda: ſacro nam tum candoris amictu
Induitur, triniq; Dei fœlice ſigillo
Signatur, cœlique videns myſteria, pompáſque
Angelicas, maius quiddam fit ſpiritus: illud
Quod fuit antè, quod eſt, quod erit præſentia vt vno
Tempore habet, multúmque licet mutetur ab illo
Qui fuit, vt mentem fugitiua abſtractio liquit,
Inſignes pietate colunt, noſq; emicat inter
Vt rutilum fulget nocturnis ſydus in vmbris:
Ecſtaſis at maior longè eſt, & ſanctior illa,
Quãdo quod alma fides, animus quod noſter adorat
Perſpicit hoc oculus: proprio vel cùm Deus ore
Nos coràm alloquitur, frontémque in frõte reponit.
Sic Domini pennis tranſuectus ad æthera Paulus,
Vidit, & ille ſuis qui rubro in gurgite ſiccum
Fecit iter, ſolidóq; vndans de marmore marmor.
O dulcis raptus, feruens Amor, atque volatus
Sancte, datur nobis quo dulcia figere Amori
Oſcula, caſtéque hymen, manna & dulcedine mella
Qui ſuperas (dictu mirum) cœleſtia, miſces
Terrenis! Sacer ô ignis qui numine mentem
Afflatam ſupero vota in ſublimia pellis,
Tellurem exacuis noſtram, flammáque volucri
Immotos tellure leuis ſuper æthera vectas,
Quicquid ineſt etiam nobis mortale repurgas,
Momentoq; Deos facis: hæc cœleſtia dona
Tempus in exiguum quæ das, ſi corpore conſtans
Firmares habitu, ô ter amica abſentia, dulces
Tu parili æquares doni dulcedine raptus,
Qui nos æternum cœlis à morte beabunt.
Adde autem, nec me ſententia fallit, in Hedeu

Quod flexit conuexa poli peruenit ad aures
Poſtremo verbum de more, Euphratis & vda
Margine, corporea vidit ſub imagine corpus
Illius, Angelico ſtipante examine circùm.
Ada audi, quæ pulchra vides (dixit Deus) *ecce*
Has ſyluas, hæc rura, hortos, & florida prata
Do *tibi, do ſoli, ingredere, atque his vtere donis,*
O *ſoboles diuina tuis ſuccedito terris,*
Quæ claudunt quicquid terreno clauditur orbe
Eximium. Tua ſint fili chariſsime rura,
Hæc tua ſint, mihi directum, mihi ſumma poteſtas
Seruetur tantùm, mihi qui conſeruo ſacrata
Vnius fructum plantæ, tibi cætera cedo:
Hoc *mihi vectigal, mea iura ſolaria, fœtus*
Vnicus arboreus mea ſit portoria iura:
Has rege quas ſupera terras ditione tenebo:
Gaude me domino, non experiere tyrannum
Dura requirentem pro cenſu mille tributa.
Hoc vnum fidei pignus, teſtémque futurum
Obſequii vaſtis vbi tu dominabere terris
Pomoſum excipio fœtum arboris, arbor at illa eſt
Quam Sacramento iuſſi eſſe bonique malique,
Cætera ſume, volo: ſed non effabile noſtrum
(Quo mare, quo tellus, quo cœli regia ſe ſe
Congemulant, atq; audito ſummiſſa tremiſcunt)
Per nomen iuro: iuro per numinis iras,
Impius audaci ſi deguſtaueris ore
Notitiæ fructum merita exercebere morte,
Morte ſed horrifica. Quòd ſi te nulla coërcet
Relligio, ſi nulla fides, pietáſq; ſupremi
Numinis, immemorem nec te mea dona coërcent,
Tu ſaltem miſerere tui, miſerere nepotum
Ada ſub hæc. Tibi gratus ago, tibi quas ego poſſum
Summe pater grates, non quas tibi debeo, dixit:
Diuitis vber agri votis opulentia noſtris
Maior

Maior, & eloquio maior: pro munere tanto
Si lubet ipſe lubens horrente cacumine ſaxi
Confringam caput: abrupto de vertice montis
Turbinei in medios fluctus ego corpus abyſſi
Conitciam, preceps; vel quæ mihi tradita dulcis
Filia, ſponſa, ſoror furiales perferet ignes,
Obiectumq; furoris erit: tua iuſſa capeſſens
Ardua, ſupplicium hoc lætus, molliſq; ſubibo.
At tua quando magis lex eſt dictata coloni
Lætos in fructus, ſacros quàm regis in vſus,
Et me venturumq; genus pater optime frænas
Lege vna, lege haud operam, ſed lege quietem
Præſcribente vetas quando Deus optime, fruges
Inter mille quibus ſplendent hæc littora, frugem
Quæ mihi funereum ſtrueret guſtata ſepulchrum,
Et formæ inſignis vix viribus æquat honorem;
Mente colo, te iterumq; iterumq; deoſculor ô lex,
Quæ mihi das placidæ non digno gaudia vitæ.
Si quis in aduerſum præpoſterus iuerit, ille
Indulgente patris non ira, dignus at iris
Iudicis igniuomi prece inexorabilis vlla.
Antè ſuos cœli Deus in contraria curſus,
In caput inuerſis Euphrates refluat vndis,
Sublimes ſulcent Aquilæ Neptunia rura,
Subſiliant montes Agni de more petulci,
Aëre nubifico, volitent immania Cete,
Quàm mihi vel ſumma vetitũ pertingère pomum
Contigerit dextra, ſceleratis dentibus abſit.
Sic ergo fœlix, cœloq; ſoloq; ſecundis
Quam dedit Aeternus tellurum poſſidet Ada,
Nec detorquet iter vitiorum in deuia cœptum,
Sorte data gaudet, natat æquore deliciarum.
Mox ſub odorato deponit membra roſeto,
Omnigenas præbente roſas, præbente colores
Orbibus implicitas variis, rhombiſq; triquetriſq;
Has

Has putet æthereos oculus religaſſe miniſtros.
Vndique nunc oras ſpatiatur tramite clauſo
Vmbriferis latè Platanis, quæ brachia curuo
Diffundunt flexu, pictæq; coronidis inſtar,
Zoophoriq; coma nemorum veſtitur opaca
Contra venturos Boreas, & Apollinis ignes,
Moxq; via cuius fllauentes margine citri
Denſos in nexus, in vincla tenacia ramos
Sic nectunt, pictos referant vt imagine muros
Penſilibus ſtructos pomis: nunc ambulat horto
Vbere, luxuriat cretis qui ſemine nullo
Arboribus: iuncti lætis quincuncibus orbes
Reſpondent Domini votis: ſine fine miniſtrant
Ambroſios fructus, ſubeat maturus vt alter
Hunc vix auulſum, varijſq; ſaporibus omnes
Aequali bonitate probat. Riuiq; ſub oris
Mox pede liberior, flagrant cui ſaxa pyropis,
Ophir arena auro fulget, fluit vnda renidens
Argento, nitidas obuallant lilia ripas,
Et ſacra querulæ ducuntur origine lymphæ,
Ampla pererrantes ſinuoſo tramite prata.
Nulla opera pontes, nulla ſunt arte parati,
Scilicet inſignes maculis, quas ſæpius vnda
Verberibus plangens, rupes, perfodit in orbem,
Aut palmæ, quarum cœcos extinguat vt ignes
Fœmineum genus, & charis pia membra maritis
Margine in aduerſa iungat creſcentibus, vltrò
Inflectit truncos, & ſtringit flumina magnis
Pontibus. Exculti mox lætior ambulat horti
Areolis, vbi cunctiparo quod viſcere fœtat
Prodiga formoſum tellus, proponit: vt omnes
Particulæ florum referant variata colore
Serta. Anceps agitans mox plurima mente, receſſus
Tranſit ad optatos, vbi muta ſilentia: & antrum
Ingreditur niueo contectum marmore, duram
Suſpen

Suſpenſa in glaciem ſtillantes rupibus vnda
Cui dedit ignotis laquearia picta figuris.
Mox totus gelida decumbit Iaſpide in vlnam
Terrę aſſurgenti, viridi quam nexa coronat
Fronde hedera, exiles intexunt vndique venę
Et quę cirrato tota eſt circumlita muſco:
Ducis & vndarum placidos in margine ſomnos,
Quę clauſtris ductę anguſtis per obliqua viarum,
Exuperant dulces prędulci murmure cantus,
Et modulos, quales recinunt hydraulica terris
Organa, vbi Antiſtes regnat Ferrarus, & olim
Quę vario potuit gyro, motúque rotarum
Cteſibus Argolicis profundere carmina ab vndis.
Inde per ambiguos calles, flexúſque viarum,
Et mille anfractus fallax per deuia ducit
Dędalus ancipitem mirum qui Dędalus implet
Innumeras errore vias: nec forſice dextro
Semiuiros, volucreſq; in equos, cornutaq; Cete
Roſmaris inciſus, ſquammoſa & pelle volucres,
Cęſus & ignotas animantum mille figuras
Limes erat, ſeptúmque viis. Aſt inſita clauſtro
Dędaleo liquidas pulmonibus ętheris auras
Sorbebant, & vera cibos animalia dulci
Gramine captabant: quales naſcuntur in aruis
Bonarete Scythicis tenui de ſemine, plantis
Veſcentes: oculis licet illi, corpore, naſo,
Ore recens ortos referant in ouilibus Agnos:
Agni eſſent, obſtat pendens abdomine radix
Viuida de medio, Cybeles quę pangitur almę
Pectore, vitales & linquit luminis auras
Qua ſunt fœna die circumnaſcentia paſti.
O quàm mira Deus præſtat tua dextera nobis!
Sanguine, carne etiam plantas, animalia donas
Radice: hic proprio motu verſatur in orbem
Planta: pedes animal gerit & pede ducere greſſus

Ignorat:

Ignorat:fructu,ramis,& frondibus orba eſt
Planta nec in venerem fertur:ſine nixibus edit
Fœtum animal,ſexuq́; caret:vicinaq́; mandens
Pabula dente,famem vacua ſolatur in aluo
Planta:pruinoſis animal conſpergitur aruis.
Nunc ſylue per opaca pedem fert, paſſibus illa
Læta viam cedens tremebunda cacumina flectit
Æternum viridante coma veſtita,ſalutem
Magnifico gratam quò dicat humillima regi
Mille vbi cirratis cœleſtia ſydera verrunt
Verticibus rami,rapidi per flamina venti,
Effuſiq́; comas vndant,quibus æmula moles
Ingentis Cerbæ,quam vix complectier vlnæ
Ter quinæ poſſint. Mediam hìc aſſurgit in vlnam
Vitis odora,perit quæ mox vbi ſaucia ferro,
Cuius membranas, lignúmque & pinguia grana,
Venditat,& multo lachrymas Ægyptius auro.
Æquorea hìc Quercus concha occultatur,aleſcit
Hìc Tyrius nullo Coccus cultore:virentes
Hìc ramos ſpina Kermes armatus acuta
Exerit,vbertim ramiſque & fronde feraces
Suſtentant vermes:preſſis conchylia manant
Vermibus,inficiunt vbi candida vellera multi
Agni,quos reduces nequeunt cognoſcere matres.
Meltus ibi,multos quam Mexica vertit in vſus,
Creſcit:ab hac lateres,conſeruam,ſacchara,vina,
Antidotum, chartam,lignum ,ſibi comparat arma,
Suffituſque & acus,filúmque & dulcia mella.
Ligna fouent flammas,denſa compagine frondes
Mille ſub arte parant vſus,& commoda mille,
Namque ſuperficie leges,memorandáque regum
Geſta,Dei ſacræ laudes,ſcribuntur & hymni,
Tecta parant domibus:tegulas ſimul ordine nexæ
Multas in ſeries imitantur:pollice ductæ
Fila parant:in acus faſtigia tenuia vertunt.

Magnaq́; ferrati mutant in acumina teli:
Et quæ cœruleus lethalia vulnera ſerpens
Intulit, hæc ſanat ſuccis: quin melle recentes
Infuſa, coctaq́; comæ ſeruantur in vſum,
Idaliámq; luem lignum ſuffitibus arcet,
De pedibus ſtillant trunci fragrantia mella.
Melle repurgato ſacchar fit, melle ſoluto
Gratus acore liquor. Tremebunda ibi delitet arbor
(Cui Narſinga dedit Pudibunda nomen) opaco
Syluæ ſeceſſu; ſenſus animamq; ſagacem
Hanc gerere & credas ira, timidoq; pudore
Vrgeri, ac nocuos membris ſentire dolores:
Namq; vbi quis greſſus ad eam conuertit, inhorret
Hoſtilemq; fugit retrahens cita brachia dextram,
Hic etiam tremulis ſubſtentat frondibus arbor
Vndiuagam pinnis gentem, populóſq; volantes,
Nunc apud arctoos viuens fœcunda Britannos
Arbor, & excuſſæ ventis ludibria frondes
In terris fiunt volucres, in flumine piſces.
Heus te muſa viden' aliis iam decipit error
Obiectus, fruſtrà tantarum gloria rerum
Carmine dicetur, quam mens nec concipit, & quam
Dextera nulla poteſt deſcribere, dicere lingua
Nulla poteſt, tanti ſubmergunt æquoris vndæ!
Qui natura artem, confert qui noſtra ſacratis
Rura, aquilas muſcis, acaróſq; elephantibus æquat.
Arctabunt cauto præuiſa pericula fræno,
Scilicet Icariis ne nixus ad æthera pennis
Aggrediar penetrale Dei, ſedemq́; diemq́;
Momentumq; petens, noſtra tellure Parentem
Quo Deus eduxit, dítemq́; induxit in hortum.
Fœlicéſue diu fuerint hac ſede, vel ipſis
An fuerit, qualis fuerit, vel quanta beatis
Progenies his orta locis, ſuſceptáve nulla
Vel niſi repſiſſent ſæuæ contagia culpæ

In ſemen quibus atra dedit vafer ordia ſerpens,
Quis modus augendi generis ſtirpiſq; fuiſſet
Illa ne in admiſſis ſobolem complexibus ætas
Auctaſſet. Nam prima hominum puriſſima ſecla,
Virginei caruiſſe putem vix floris honore,
Atque illibatos ſubiiſſe cupidinis æſtum,
Cuius ab inſano penitùs percellimur œſtro,
Morboſis tremulos quatiat qui motibus artus,
Tempus in exiguum qui ſoluat inertia membra,
Eripiatq; animæ digniſſima munera noſtra.
An ne indulſiſſent conceſſis nunc hymenæis,
Cùm careant fœda noſtra hæc connubia ſorde,
Si modò temperies adſit, geminóſq; Supernus
Sublato fruſtrà ſexus hoc fine crearit.
Limine vel primo vitæ vigor ille fuiſſet
Illorum natis, viridi quo flore iuuentæ
Sæpè micat pedibus velox induſtria dextris,
Viuida, corde valens: nec enim natura minores
Parcior humanis dederat ſcelus ante nefandum
Dotes, impuro quàm nunc potiantur in æuo,
Cum perdix etiam vix almæ tradita luci,
Infirmoq; domum patriam cum corpore voluens,
Tenuibus obducto plumis, nulloq; volantum
Auxilio alarum medias percurrat ariſtas,
Et materna premat celeri veſtigia greſſu;
Aut parili quam ſera trahunt hæc ſecula ſorte;
Anguſta nec enim potuiſſet matris in aluo
Viuere, qui iam ter denos impleuerat annos.
Nec præter leges naturæ, æternáq; iura
Iſſe putes quicquam, ni ſacra volumina dictent
Miſſa polo, quibus & dextras, & lumina fraudis
Iure ſuo culpare datum eſt in commoda noſtra.
An doctrinæ, artes, ratio, prudentia molli
Ornaſſent homines ab origine: cum tener agnus
Matris adhuc tepido madefactus ſanguine naſcens,

Vidit

Vidit vt ille lupum perterritus horreat, vda
Hactenus ignota non neſciat vbera matris.
Et rationis egens, & iners diſcrimine nullo
Diſtet ab effigie humana, vel lumine caſſo.
An cœcis infantum oculos veſana tenebris
Ignaros ortu velaſſet inertia primo:
Nam teneris capiunt noua ſpectra ſubinde cerebris
Infantes, primumq́; nouo ſubeunte fatiſcit:
Et nullo mixtæ ſpecies ſimul ordine, motus
Dant varios, mentemq́; agitant, agitata quietem
Quærit, nec ſtabilem qua mordax anchora ſubſtet
Inueniens ſedem, ſemper ſimulachra volutat.
Adá-ne ceſſiſſet natis fragrantia clauſtra
Effœtus ſenio, natiq́; nepotibus: ipſe
Vel tandem æthereos cœli migraſſet in orbes,
Natorum pulchra ſplendens comitante caterua.
Qui volet inquirat, rem ſe tetigiſſe ſagaci
Iactet acu, nodos doctus diſſoluat inanes
Fruſtrà quæſitos, iſto me haud dignor honore.
Abſit, vt immenſo vacuas meſſurus ariſtas
Vana labore ſeram. Tempeſtas quanta malorum,
Heu! miſeros homines ſcimus quot, quanta ſecuta
Poſtquam indixerunt cœli crudelia bella,
Et terrena ſibi ſubierit regna Satanas.
At quali ratione æuum duxere Parentes
Ante nefas primi nemo cognorit ad vnguem,
Gurges in hoc nobis cœcus, cœcúſque character,
Ipſe nec Oedipodes nexus euolueret iſtos,
Cùm dubia, & tricas, & inania multa Lyceis.
Mille agitata modis prima de ſorte parentum
Tempus agens vitæ geminum vix ſolueret Ada.
Hoc igitur (nec vana fides) ſtat mente repoſtum
Cùm mors peccati ſcelerato exſurgat ab ortu,
Si Pater hæſiſſet vitæ candore priori
Quod fera non rigidæ ſenſiſſet ſpicula mortis.

Nam

Nam velut emiſſa geminis è follibus aura
Alterno ſenſim motu ſtridentibus atros
Ignibus accendunt carbones, ignis anhelans
Accendit ferrum, duriſq; incudibus ictum
Deponit ſpeciem ferrum, & maiore faceſſit
Parte in ſtricturas, totúmque rubore coruſcat.
Sic mens in mentem noſtram ſuprema perennes
Inſpirans ignes, totóſque infuſa per artus
Mens vt forma ſuos, ſua dans cœleſtia metra,
Innumeros numeros, augensq́; in corpore pulchro
Formam, immortalis quicquid mortale fugaſſet.
Obijcient imis ignes hærere medullis,
Mollia qui dempto populentur viſcera ſucco,
Atque licet varijs induta viribus omnes
Nil ſaperent fruges, mittit quæ barbara Perſis
Toxica, nec tetris horrenda aconita venenis,
Adâque prudentes vertiſſet ſingula in vſus,
Non potuiſſe tamen ſucci ſarcire ruinas,
Iugibus exhauſti toto de corpore flammis:
Neſcit vt externus quia demigrare ſolutos
In ſuccos cibus, & penitùs reparare priores,
Vt data Mœonijs Acheloia pocula ſuccis
Crebra, luunt vires, guſtúmque & nectar odoris,
Adde quòd ipſa etiam longo natura fatiſcit
Fracta æuo, & noſtram contenta rebellia mortem
Maturant, ductímque animi firmiſſima noſtri
Carceris euellunt fundamina. Sed quid? in iſto
Quæ nocui humores terreno vaſe ciebant
Bella, ſoporabat fructus vitalis, & omnes
Obijce deturbans morbos vertebat in altum
Funditus ille dapes ſine crimine; ſola valebat
Tetra lues animi, qua non impurior vlla,
Tollere vitalem lethali peſte medelam.
Ergo immortalis, mortalis & editus Ada,
Mortuus immortalis & eſt, mortalis & idem
Vixit:

Vixit:ei namque ante, datum, data præmia culpæ,
Poſſe mori, nec poſſe mori: ſed numinis iras
Vt ſibi contraxit, moriendi ſola remanſit
Heu! miſero, ſed non moriendi nulla poteſtas:
Vt contra cùm vita nouo ſplendore reſurget,
Rurſus eum non poſſe mori manet vna poteſtas.

G V I L. S A L V S T I I
HEBDOMAD. SECVNDÆ
DIEI I. LIBER. II. SEV IMPOSTVRA.

Hei mihi! præcipites lateri quis ſuggeret alas
Vt Pandionia volucri volocior, audax
Momento ſimul aſtra, ſimul fera Tartara tangam?
Hei mihi! Iuſtitiæ geſtum: Bonitatis & ora
Quis ſpectanda dabit caſtæ quæ vota ſorores
Aeterni æterno ſociatæ fœdere librant.
Quarum cæde illa, at lachrymis hæc paſcitur: illa
Iratos vultus, vultus gerit iſta benignos:
Illa manu ferrum, veniam gerit iſta roganti:
Illáq; terreno Proauum deiecit ab Heden,
Iſta ſed aſtriferi ſociauit ciuibus Heden?
Quo duce, quo calamus narrabit Apolline damnum,
Ada quod à frugis fruſto contraxit, vt ipſe
Auctior hinc lauro migrem redimitus ouanti?
Quale vel hic moduler tibi lector amabile carmen?
Vel quibus eloquii mihi prodiga flumina docti,
Indiga de ſcatebris mittentur in ora canenti,
Raptus vt ipſe, nouo rapiam te Gallia thyrſo:
Quæ licet in primum ſententia dicta parentem
Hoc ſeclo ſacris toties repetita cathedris,
Cauſa prior decepta dolo qua fœmina fertur

Delira inſano pariat iam tædia vulgo,
Impiáq;audaces ſcurræ in ludibria vertant?
Ille eris, ille mihi Deus, ô Deus ille, receptam
Qui fidei exacues animam fornace ſacrato,
Sperati ſq;mihi cedens maiora, quod inſtat
Immittes animis, atque os torrente rigabis
Eloquii, cleménſq; reges audacia cœpta,
Et me ſanctorùm conſcribens ordine vatum,
Vt noſtros inter ceu regius ales ad aſtra
Efficies ferar, aut cœlum ſi noſtra recuſet
Vota, viam ad veros doceam quæ ducit honores.
Ada voluptatis dum voluitur æquore blando,
Dirus apoſtaſiæ genitor, falſique, monarcha
Tartareæ ſedis crudeli in pectore tetrum
Serpentum examen patitur ſine fine furentum,
Sanguine qui venas vacuant, & viſcera edaces
Ore vorant: tenerum pulmonem mille fatigant
Forcipibus: mentem torquent immane feroces
Quæ dandis fœcunda nimis, fœcunda ferendis
Tormentis: odium, damnoſa ſuperbia, liuor
Vrgent æternis mœrentia pectora curis.
Nam furor inſenſi qui cordi: inæſtuat imo
Numen in excelſum, rutila quòd pulſus ab arce,
Sulphureiſque Deus per nubila denſa tenebris
Indidit æternum, quamuis mulcetur eadem
Sorte ills germana cohors: ſcelerata tenendi
Ambitio humanos ferro, & compagibus arctis
Peccati, liuorq; malus, quòd imago ſuperſtes
Numinis integro vitæ reniteſcat in Ada,
Qua caret amiſſa, & ſacros conſcendere honores
Ada queat, quibus ille ſuo pro crimine pulſus,
Indomitam geminant rabiem, immanéſq; tyranni
Sollicitant mentem, & rabidis dant curſibus alas:
Sin ego docta Sophi veſtigia ſector Hebræi
Ille eſt poſtremus Python, horrenda ſuperbis

Qui

Qui linguis centum contorquet ſibila,ſæuus
Concitat Ætneo furiales pectore flammas,
Ardet in æquales,maiores,atque minores,
Odit vt æquales illos timet inuidus illos
Vt dominos,dominos olim timet inuidus iſtos.
Pectore Gorgoneum cupiens ructare venenum
Inſignis mendax,haud purus ſpiritus audet
Humanum tentare genus,mendacia cauto
Induit ora dolo.Nam mens quæ iura minori
Dat mundo rectrix,ſeruabat caſta ſacrata
Vota pudicitiæ cultu quem vertere ſolus
Tentaſſet nequicquam.Ergo cum carnis amictu
Aggreditur carnem,& dulci ſermone ſubornat,
Quæ dominam perdat:nam pluribus artibus illa,
Pluribus illa potens hamis percallida lena
Quam facılis cœli,quàm piſcibus æquora mutis.
Vel licèt aſtrifero ſumpſiſſet ab æthere puram
Materiem,aut flammis,vel ab aëre ducere voces
Non poterat quibus alma fides peruertitur,iſta
Cùm nequeant geminas componere corpora nares,
Linguam,pulmonem,ſpirantia bronchia,eburnos
Bis geminos dentes,& labra gemella, palatúmque,
Organa quæ viuæ voci natura miniſtrat.
Ipſéque flexanimo quamuis valuiſſet ab ortu
Eloquio,ſi qualis erat,nec veſte parentem
Mentita ad primam repſiſſet,crimine fraudis
Deprenſo,caſtas ne peſti occluderet aures
Obiectæ metuebat atrox,fugerétque latentem
Veſte dolum.Sin Angelico ſplendore coruſcans
Struxiſſet fraudes,ne humana rebellio nulla
Digna videretur tenui pro crimine pœna.
Latroni ſimilis flagrante cupidine prædam
Quærenti,tritáque via dum Luna bicornem
Cœrulëis ſinuat faciem tremebunda ſub vndis,
Qui cædes & furta parans nunc meſſis opacæ

Stramine velatur denſo:nunc ſe occulit antro,
Mox cæcis latitat dumis, vicinaque crebro
Rimatur loca diſcurſu;neque certus,eandem
Itque reditque viam,conſiſtere ſede nec vlla
Secreta ſatis ille poteſt,tandemque cauato
Conſtituens veteris latitare in caudice quercus
Excutit igniuomo concluſum miſſile ferro,
Atque viatorem laterali vulnere mactat.
Arte mala noſtra mendax rapo libertatis.
Mox aſſumit equi formam,mox alite gallo,
Mox cane,mox vacca,mox ceruo,moxque ſuperbus
Pauonis tegitur picti ſtellantibus alis;
Incautum metuit ſcelerato in crimine crimen,
Illius inſtabili non ſtat ſententia mente,
Ille ſubit varium mutato corpore corpus.
At memor inter tot ciues quos æquora ſeruant,
Quos aër,nemora,& montes,& inhoſpita teſqua,
Pectoribus colubrum maleſuada ſubeſſe venena,
Ac quamuis frendentis apri,rapidiúe moloſſi
Non dederit dentes illis natura,nec vngues
Griphi,nec dederit furibundi cornua tauri,
Vulturis aut roſtrum:exiguis ac viribus,abſit
Vt mortem,quos nec credas inferre dolorem
Poſſe,tamen nobis per ſibila perfida lethum,
Per ſputa,& caudæ,atque oculi iaculamina ferre,
Impius obtegitur maculoſa pelle draconis,
Talis vt obtorto recinens mellita canalis
Verba tubo,res acta ſimul,ſimul actor in actum
Conſpirent parilem:nam nondum perfidus ima
Horrendum ſerpens terra ſerpebat,& Ada
Non erat inuiſus ſoboli, quæſita parentum
Triſtia peccato cùm ſint ea præmia primo.
Sed quæ ſic fuerit dæmon mutatus ab arte
Mens hæret,nec tanta poteſt edicere lingua;
Ars hominum nedum fallacem effinxerit artem.

Dæmona præſtigiis turbantem pectora matris,.
Mox puto mendacis ſpectri luſiſſe loquela,
Sicut enim liquidæ denſo glomeramine nubis
Congener vnda citò, miſcetur & humidus aër:
Sic facilè mentem ſubeunt Cacodæmones, illis
Nam tenues animæ. Serpentis imagine vera
Mox puto, non ipſo ſerpentis corpore matrem
Conſceleraſſe oculos, vel quòd vafer arte doloſa
Vſus, quæ fallax oculos caligine tædæ
Faſcinat, immutans mixto ſplendore vapori
Noſtra caballinis capita, & laquearia tortis
Anguillis: vel quòd præceps, leue, mobile corpus
In varios fines miro Cacodæmones aſtu
In varias mutent formas, variòſque colores:
Siue quod aërij aërio qui corpore texti.
Nam velut obſcuris nigreſcens nubibus aër,
Illic cœruleus, niger hic, ibi flauus, & albus,
Monſtra, domos, orcos, lucos, caſtella, dracones
Mille refert acies, & aduſtas ignibus Ætnas,
Qualis & apparet nitidi per læuia vitri
Multigenas ſumens ac mille ſubinde figuras:
Sic ſe producunt, decurtant dæmones, & ſic
Se quadrant, rectóſque ferunt, flectúntque coarctántq;,
Expandúntque prout diuerſa in mente voluntas,
Quos animus tales hauſtos à ſenſibus haurit.
Mox ego Gorgonei ſquamis habitaſſe colubri
Hoc in opus tantùm fallacem credo Satanam:
Nam leue cùm dederit natura & mobile corpus
Hoſtibus humani generis, fraudéſque dolóſque,
Et crebro rerum doctos effecerit vſu,
Quattuor accumulant genitalia corpora, maſſam
Concretam vitáque ornant, motúque repentes.
Non tamen iſta creant: auguſto hoc nomine dignus
Ille vnus vaſtam qui condidit Amphitriten,
Orbis qui centrum, ſempérque volubile cœlum,

Aëráque Omnipotens nihilo generauit, & vnus
Eſſe dat exiſtens, & primis ſemina rerum
Corporibus clauſit: non qui vel ab arte magiſtra,
Vel qui natura docti dant corpora formis,
Quas deſignarant cœli, crementáque pellunt,
Et longo maſſa latitantes tempore formas
Educunt, actumquè edunt vbi ſola poteſtas.
Denique non aliquod ſpectrum, pictámue figuram,
Non corpus variis contextum partibus, vnum
In finem hunc credam: ſed eundem credo colubrum,
Cui Deus ignotæ primùm dedit ordia vitæ,
Quando informe Chaos ſpeciem glomerauit in orbis;
Nunc etenim iuſtas ſceleris ſubit improba pœnas
Progenies. Rurſum nec ſcrupulus exit inanis;
An, non anguineæ pellis velamine Dæmon
Oblitus, imperiis premeret, linguamq́; cieret
Exacuens illi mentes, & numine ſolo
Moliretur opus ſemoto corpore: neruis
Sicut pulſatis teſtudo intacta canoros
Dat modulos, & carmen idem: redditq́; trahítque
Arcano conſenſu animam, ventóſq; ſonoros;
Ac veluti ſpaciis ſydus quod mille remotum eſt
Aut aduerſam in nos, fortunam aut fundit amicam.
Ille vel in tempus maculoſa pelle lateret
Serpentis torti, ſedem ſine ſede capeſſens;
Non ſecus atque animus carnis ſub mole coruſcas
Exponit flammas, & nullo limite clauſus
Clauditur extremis breuibus, non ſicut inhæret
Sede data corpus, ſed vt eſt in corpore forma. (nebit,
Quicquid id eſt, verum hoc manet, æternúmq; ma-
Serpentem antiquum, ceu dæmonis inſtrumentum,
In Paradiſiacis mendacia verba vireti
Fundentem, nimis heu! ſed proficientia verba,
Humani primam generis luſiſſe parentem.
Sicut enim Teſtudo annis attrita, nec vlla

Prætentata manu, fidicem quam pollice docto
Increpat, illa ſoni ſuperat dulcedine rythmos
Quos edit perfecta chelys, pulſata bubulci
Pollice ab ignauo: ſic docta dæmonis ictum
Illius os dextra, mutum tamen antè, polito
Eloquio linguas hominum deuicerit omnes:
Sic quos producit nemoroſa Albania trunci,
Inſpirante Deo fallaci voce, futuros
Euentus rerum temere credentibus olim
Dixere Argolicis. Talis muſſabat in imo
Ventriloquus, furiis agitatus, viſcere voces
Pallidus obſcuras: namque eſt ſolertia docto
Artifici, inſtrumenta ſagax quæ manca reſarcit.
Nec ſecus ambigua mentem Cacodæmonis ala
Dum ſublime attollit agens phanaticus, ore
Plurima lymphato Phœbæa oracula fundit,
Et non conceptas veſanus parturit artes.
O immortales, tu qui ſcelerate dediſti
Morti animas, heu! quot fraudes noctuq́; diuq́;
Moliriſque dolos quibus eripiamur olympo.
Heu! quot tu ſumis facies vt ad intima Ditis
Præcipites nos regna feras. Tu ſæua leonum
Ora refers, quando furiali corde Neronis
Baccharis, ſpiráſque nihil niſi cædis amorem,
Exhauſtum & magna totum iam parte piorum
Orbem luſtrato ſanctorum ſanguine tingis.
Induis ora canis, tu quando venena cruenti
Pectoris eructas perdiros Pſeudoprophetas,
Et regum in regem latratu multa profano
Expuis, inq́; ſacris audes cantare cathedris:
Tuq́; refers porcos, Epicurum quando voluptas
Irretit, mentemq́; hominum peruertit honeſtam,
Et mollem mollis Lacedæmona vertit in vrbem:
Verteris in Geticas volucres, aut verteris albos
In cycnos, quoties docto ſermonis amœni

Tu

Tu lenocinio fallaci in Rhetore fallis,
Vocibus attentas cùm dat tractabilis aures
Auditor, legéſque euertis & inclyta iura:
Fis vulpes quando geſtum componis, & ora
Diſſimulatoris: Verum candore ſepulchrum
Obductum; cœcis vrens, pruna abdita, flammis;
Atque venenata compungens Scorpio cauda.
Quid tam parua moror? Liuentia corda, nefande,
Nec potuere ſacris cœlorum parcere turmis,
Tu fraudes nectens inapertis fraudibus, arte
Omnipotentis opus ſcelerata imitarier auſus.
Sed quid plura? Dolos, nunquam ſatiate nocendi,
Quos ſtruis hic taceo, & repetens incepta fideli
Incipio primam deſcribere carmine fraudem.
Perfidus humanam ſerpens ruiturus in arcem,
Prudentis ſtratagema ducis ſectatur & aſtum,
Optata nunquam qui mœnibus inſilit vrbis,
Quin priùs explorétq; ſitum, foſſamque fideli
Scrutetur baculo, muros menſuret ocellis,
Agnorit turres, & ab illa parte locarit
Caſtra ardens, quam vel minima deprenderit arte,
Nouerit aut paruo natura robore firmam:
Nam ſæpè Androgyni mores, geſtumque prioris
Inſpiciens, hoſtis partem veteranus in illam
Quâ data porta ruit, iaculatur, & inſilit ardens,
Fœmineum aggreditur ſexum nouitatis amantem,
Infirmum, facilem, ſtolidum, mollemque leuemque.
Eua, ſecundus honos mundi, Deus æmulus (inquit)
An vetuit fructus vobis ſobolique futuræ
Quos capit hic hortus clara comprenſus ab vnda,
Fructus quos toties vobis dedit hic Deus, & quos
Fructus vos manibus colitis noctéſq; diéſq; ?
Verborum hanc dulcem ſpirans draco perfidus auram,
Peſte ſinum matris replet, ad quem talia fatur:
Quiſquis es, hoc ſcito (verùm tua cura benigna

Teſtis amicitiæ.) Quod ſub ditione tenemus
Terreſtres propria cœlos, & ſumma poteſtas
Hic nobis conceſſa: vnus viridantis in horti
Eſt vetitus medio fructus ſplendore coruſcans:
Morte minans etenim nobis Deus optimus vſum,
Hei mihi! neſcio cur vetuit. Sic fata ſilebat,
Vincenda affectu, tacito ſub corde, latenti.
Virginis vt caſtæ qui retia tendit amator,
Cauta pudicitiæ cuius deflagrat amore,
Illa ſimul blandis patientem accommodat aurem
Verbis, quæ cœcos retegunt quibus æſtuat ignes,
Agnoſcit ſimul ille malum, ſæuúmque dolorem
Mulceri, optato ſperat ſuccedere portu,
Et lætæ conſtans hæret ſententia menti,
Caſtra per alloquium media iam parte ſubacta.
Haud ſecus allectat qui nos in retia Serpens
Subdola pellaci linguæ modulamine, vt Euam
Agnouit dulces vocum libare ſuſurros,
Vrget ouans incepta; dolos artéſque labore
Irrequietus agit; dextra, pede, vertice pulſat
Obnixè murum ruptus qua parte dehiſcit.
Falleris, hanc (inquit) deceptæ ſubtrahe menti
O formoſa fidem; vobis præcluſit amœnæ
Ac ſapidæ gratum frugis tuus hic Deus vſum
Improbus, & ſapiens, non vt mortalibus atram
Corporibus mortem veſtris eliminet: illi
Inuidia, atque metus liuens, mœrórque dolórque
Crudeles pectus lacerant ſine fine: tenebras
Ignaræ obiectas menti quia cognita fructus
Vis vetiti extemplo vobis pulſura, Deoque
Coniunctura Deos faciens, dominóſque potentes.
Nunc age, fœlicem tu porrige, porrige dextram,
O mundi decus eximium; quid tarda moraris?
Principium rebus tandem da læta ſecundis,
Deſpue, quas Deus hic, ſed inanes euomet iras,
Non

Non maior vobis, voc is niſi dum lubet, euge
Nunc immortali felix procingere amictu,
Feſtina, & cœli ſummos iniuſta nouerca
Venturæ quondam ſoboli ne ſubtrahe honores.
Hæc vbi dicta dedit flagrante cupidine pulſa,
Lumine quæ ſolo, ſola quæ mente ſupremum
In mundi regem peccauerat, impia dextram
Oráque conſcelerat mortali crimine mater.
Fur rudis aſpecta conclaui diuite ſumma
Nũmorum, attonitus, pallens, tremebundus, aduncos
Ter fert, térque refert digitos, tandémque rapaci
Crumenam carpo prenſat, ſub veſte recondit,
Audacíque timens cœpto vix aufugit, & vix
Peruius eſt patuli fugitiuo liminis vſus,
Ac ſeruat dominúſne fugæ veſtigia preſſet.
Sic dum curarum fluctus in pectore voluit,
Eua ſubinde alios vultus, alia induit ora,
Vult, nec vult, it, iámque redit, tremebundáq; miſcet
Alternis vicibus mœrorem, & gaudia mente:
Captandóque diu mater manet anxia damno.
Sed quid? deſipiens diuellit ab arbore tandem,
Auulſúmque auidæ committit dextera buccæ.
Ac veluti cliuo præceps qui montis ab alto
Labitur, inſtabilis ſaxóque allidit, amici
Impiger adſtantis femur arripit, arripit vlnam,
Inq; caput voluens corpus, deuoluit eandem
In foſſam infœlix fractum confractus amicum:
Præcipitem caſu non ſecius Eua maritum
Attrahit in fluctus Erebi, Stygiámque paludem:
Nam cum nectarea fructus dulcedine, raris
Viribus & forma præſtanti, mellea linguæ
Verba decúſque oris iungens, vultúmque ſerenum
Efficit vt cæco pomi deuictus amore
Dulcacidam morſu tandem vir diuidat eſcam.
Hanc vbi guſtarunt extemplo fœmina, virq;

Preſſa ſalutari caligine lumina mentis,
Atque vident oculos acui, viduámque relinquit
Quod fuit antè decus, mentē cœleſtis imago.
Et quia veſte carens corpus mœrorq; pudorq;
Angunt, de cœli cupiens ſubducere vultu,
Denſis villoſam foliis ſuccingitur aluum.
Vos ô mortales ſtulti cognoſcite quantùm
Hæc valeat tanto quæ parta ſcientia vobis
Eſt pretio. In terra ſuperat vos noctua rebus:
Rebus in æthereis ſuperat vos talpa: putatis
Heu! vos dementes oculum qui viſcera cernit
Intima telluris, tanquam per limpida vitri,
Prætenuem ramum, ramum ſuperare tegentem
Non poſſe, atque tegi contecto corpore crimen
Corporis aut membro velato cætera fronti
Condita diuina? Sed quod mage, mente manebat
Præcipiti ſceleris confuſa ſcientia tantùm,
Qualis ineſt ſomnis feruentia vina vapore
Deliris mentem ſpectris vbi mille fatigant.
Hinc fit vt Aeternus Phœbo redeunte, virentes
In campos miſſa cœleſtis originis aura,
Illic eſſe Deum cuius nouus halitus index,
Lethargum pellat, iuſto premat acriter actas
Iudicio mentes, quod dictauere priores,
Audacéſque magis rigido deterreat ore
Iudicis, vt latebras alias, alióſque receſſus
Inquirant, quà ſylua comis fœlicior horret.
Qua regione lates? quid agis? refer Ada parenti,
Ada; Deo refer Ada (Deus voce horridus inquit)
Perdite qui tot opes, tibi tot conceſſit honores.
Voce graui audita, tremulis in flumine iuncis
Stat ſimilis, frontique color qui floridus antè,
Turpatur liuore: rigens è corpore ſudor
Emanat: lachrymis merſos amplectitur atra
Nox oculos: gelida implentur tinnitibus aures:
Genua

Genua ſoluta labant magno ſub pondere ; greſſu
Succiduo titubat : non corporis ampliùs ille
Iam ſupereſt habitus liber certúſque grauiſq;
Prona ſed in terram torquet ſeruiliter ora,
Diſſimiliſq; ſibi nihil Adæ agnoſcat in Ada :
Suſtinet ingentes turbata mente procellas
Horrida curarum cruciant examina mille :
Spiritus atque caro exercent in mente duellum:
Ille Dei aſpectu ſolo conterritus horret:
Ille Dei inuita vocem capit aure, nec vltra
Reſpondet : tremulo dat ſingultantia verba
Accentu , miſer exortum quibus ille fatetur
Sponte metum , reticet turpem ſed hypocrita culpam.
O Pater omnipotens tua vox, vox horrida denſis
Me pauidum ſylua latitare coegit in vmbris :
Nudus enim ſauo haud auſim ſuccedere vultu.
Tum Deus: Eſſe tibi quis perfide apoſtata nudum
Edocuit corpus ? tibi qua data cauſa pudoris?
Cur toties vmbras, toties mutare latebras
Cogeris? heu ! docta qui pendet ab arbore fœtus
Quem tibi morte minans vetui, num cauſa pudoris?
Ada ſub hac: Reus haud tanti ſum criminis, inquit,
O Pater, illa mihi æterno quam fœdere iunxti
Blandula lethiferam me fœmina duxit in eſcam.
At cur, numen ait, quo tu decepta, maritum
Perfida peſtifero religaſti fœmina caſſe?
O Deus, Eua inquit, tua quem perfecta creauit
Dextra per illecebras Serpens mihi criminis author.
Sic cuius nullo ſancita nouantur ab æuo,
Nulláque praſcriptis cogat quem Curia formis :
Qui partis pleno, teſtiſue examine prudens
Non eget, & rigidi quem non cenſura Senatus
Tangit , quòd ſtatera cauſas non ponderet æqua,
Ille reos citat, & ſapiens interrogat, audit,
Confert, ius dicit, decretúmque horridus ore,

Accentúque graui iudex pronuntiat æquum.
O ſerpens ſcelerate, modò quem noſtra creauit
Dextra, ſalutiferos humanæ gentis in vſus,
Verſus es in gladium, quo credulus occidit Ada,
Crimine pro tanto tu triſtis origo malorum,
Inter quæ ſenſu pollent animalia cuncta
Execrandus eris, terra veſceris, humóque
Serpes, perpetuis certabit fœmina tecum,
Quas ego ſuccendam pugnis: crudele tuorum
Natorum os fractis confundent oſſibus olim
Illius nati: tibi quæ ventura propago
Contra illis dira compunget cuſpide calcem.
O vocis noſtræ contemptrix, perfida natis
Atque viro, tibi crudelis, ne credito lucem
Tam facili partu viſurum, vt tollere luci
Auſa genus: partus tu mille doloribus edes.
Nullus ab enixu neruus, neque muſculus, vlla
Nec caro, nec tendo, nec vena, arteria nulla
Hoc immunis erit: vomitus, faſtidia, cittas,
Defectúſque animi taceo, fœdóſque colores,
Et defeſſa graui languentia pondere membra,
Quæ poſthac grauidas iubeo comitarier aluos:
Tu perages æuum Domino ſub mare, tyranno,
Nunc ſeruo ſummi ſic te ſuadente tyranni.
Perfide, tu ſtultæ nimium confiſe, ſacratis
Qui non dignatus iuſtas dare vocibus aures,
Poſthac defeſſo manabit corpore ſudor,
Palma trahet bullas, & erit tibi curua ſenectus:
Nec niſi quæſitas pro mille laboribus eſcas
Immittes venis: nam quæ decreta, mináſque
In te ego fulminea contorſi voce, penetrant
In terram; fœcunda dabat dulcedine gratas
Quæ fruges nullo cultore, & ſemine nullo
Poſthac præbebit ſpinis horrentia terga.
Denique tu placidam non experiere quietem,

Donec

Donec poſtremo belli certamine lethum
Demandarit humo deductum corpus ab illa.
Hoc ſcio, quod petulãs ſenſus ſtrepit, & fera multũ
Oppedit caro, multa procax effutit, amaris
Æternum inceſſit verbis, qui mobile nutu
Ducere ſub proprio Patri conceſſerit æuum,
Quo Stygij reſeraret iter Phlegetontis ad vndas,
Mille vbi concluſos mortes ſine morte laceſſunt.
At Deus *antè videt, rerum moderatur & omnes*
Euentus, quia cunctipotens regit omnia liber.
Hic homo conqueritur quod iniqua lege, parentum
Æternus multam ſobolem diffundat in omnem,
Quòd noua progenies canis ſuſcepta ſub annis
Vltricem necdum poſſit ſaturare furorem,
Ciuit ab incauto fruges quem ſaucia morſu.
O vermis terrene, ſoli, cœlique monarcham
Heu! miſerande petes? cœptorum reddere cauſas
Heu! coges? figulus trito ſibi fictile limo
Vt volet effinget; totiùs conditor orbis,
Naturaq́; parens hominem nec flectere iuſto
Arbitrio poterit? Reges Rex ille ſupremus
Qui regit, & numeris, moderatur & omnia metris
Æqui norma, Deus vitiis inimicus, & idem
Viuida qui legum mens eſt committet iniqua?
Libera ab Æterno tibi num conceſſa voluntas,
Liber vt illius preſſes veſtigia; liber
Iuſſa Dei, ſacra vota pio ſecteris amore,
Inuictus philtro, victus Buſiride nullo?
Te Deus accingit gladio rationis, at ille
Vulneris author adeſt: mediam premis improbe lamnã,
Quà nocitura acies animis, quod concipis aluo
Cædis amare genus: Nigro, vah! putida campe,
Florea cœlorum corrumpis dona veneno.
Qui tibi ſenſus ineſt, tibi mentis acumina, mentes
Præripiunt; miſerande Dei incuſare fauorem

Nec dubitas,bona qui nuſquam ſperata nefandæ
Tergemina educit de crimine? Gloria nempe
Hinc eſt parta Deo,fœlix tibi vita, Satanæ
Dedecus: illa Dei quid enim Clementia, vel quid
Iuſtitia illa? forent nudæ ſine crimine voces.
Quin ſolo accitus deſcendit Chriſtus in orbem
Crimine terrenum,valido conamine mortis
Qui propria vicit Peccatum,Tartara,Mortem:
Et mage fœlicem tibi dat poſt crimina vitam,
Quàm dum vixiſti ſacrato innoxius Heden.
Tunc mortem horrebas,mortem non ampliùs horres,
Littori inhærebas, ſidit nunc anchora portu:
Viuebas terris: ſupero nunc viuis in orbe,
Voce fruebaris Domini,nunc cernis Ieſum:
Dulci viuebas fructu,nunc viuis Ieſu:
Tu labi poteras, nuſquam labere deinceps.
Nec leuis ille fuit mendoſo natus ab Ada
Error, vt inſanæ dictat ſententia mentis:
Deteriora fuit fraternis crimina nodis
Vinclum per ſeriem nectens. Gula,faſtus inanis
Liuor,proditio, ambitio maiora ſciendi,
Deflexere pios à cœli tramite greſſus.
Quas meruit natus, genitor,te iudice pœnas,
Qui, cùm primæuo ſolidæ ſunt corpore vires,
Téque adeo,rerum, viuente, vidente, volente,
Parte vel in dotem potitur meliore tuarum,
Arma in te meriti tanti capit immemor, vltróque
Orditur terris bellum quas ipſe dediſti?
Ergo mente recens Adam tibi finge creatum
Dextera ab Æterni,quem non anguſtia rerum,
Non premat vlla fames, at qui potiatur opum vi,
Diuitibus latè ſpatiis quæ continet orbis,
Senſibus addictus nullis; frænare vagantes
Qui contrà,& prudens reuocare ad munera poſſit;
Cuius nulla inſit fallax ſententia menti:

Cui

Cui doctor Deus, atque comes ſacra turma polorum,
Qui tamen authorem demens vitaq; ſalutiſq;
Impulſus minimis, quin nilo vertat in hoſtem,
Tum pœnas dices quibus eſt hæc culpa pianda,
Qua cruce, quo buſto, quali ſit digna flagello:
Dein ſcelerata patrum fœda contagia culpæ,
Cùm ſenſim natos, ab eis ſine fine nepotes
Inficiant, tractúque viæ quæ putris origo
Sordidior fiat, meritas perſoluere pœnas
Hactenus infandum cur tu mirabere crimen?
Nam licèt accendi flagrante cupidinis æſtu
Ante ortum nequeat fœtus, tamen inditus aluo
Iam pœnæ eſt ſeruus, teneant quem vincula culpæ,
Quippe atomus primaq; exilis portio maſſæ,
Quæ fuit horrendo patrum polluta veneno.
Cùm genus eſt ægrum, ſpecies quoq; morbida: quando
Deforme eſt corpus, ſunt & deformia membra,
Et quæ cœnoſo deuoluitur vnda canali,
Æquora camporum pluri conſperſa relinquit
Cœno quàm lympha. Dum fuſcis occulit alis
Nox furtiua polum, cœcus ſe luminis orbum
Ignorat: ſed quando operum renouare labores
Hortatur phœbæa dies, ſibi noctis opacæ
Clamat inexhauſtas vmbras, diducere greſſus
Se dubios, cogiq; viam duce quærere dextra,
Atque manus cœcæ trepidas obtendere fronti.
Sic homo, dum capitur latebroſo viſcere matris,
Inſcius eſt fraudis, quæ quod nimis vbere fundo
Abdita, radices latebris iam ſpargit in imis
Infecti cordis: ſimul hoc in lumini: auras
Tollitur, illa ſimul: creſcit creſcente, ſimúlque
Perfecta in faciem ſe ſuſtulit arboris illa,
Pullulat, & fructus trudit ſinc fine nefandos.
Elleboro nullas gigni num cernis ariſtas?
Hordea veſano produci nulla ſolatro?

Nec

Nec quemquam genitos vidiſſe leonibus agnos?
Nec niſi leproſam leproſis ſurgere prolem?
Sic Auus innocui cultor fidiſſimus aui
Impleſſet ſancto fœlicem ſanguine mundum.
At Paradiſiaca commiſſo crimine terra
In genus ille ſuum crimen transfudit & iram:
Nam pulchra non tam viſus virtute Parentem,
Quàm genus humanum Deus inſignire, nec Adam
Tam viduare datis quàm qui naſcentur ab illo.
Qui fraudem in patrium meditatur pectore Regem,
Et nectit patriæ ſub amica fronte ſaluti
Retia, non ſolus meritas expendere pœnas
Cogitur: in partem ſceleratæ, haud conſcia, multæ
Sæpe vel ipſa venit ſoboles pietate probata,
Æternúmque infame trahit ſub legibus æuum.
Non ne poteſt iuſtis Æternus concitus iris
In propriis Adam ſceleratum plectere natis?
Nonne poteſt rigidis prolem ſummittere Parcis?
Infami frontes macula turpare nepotum,
Effera qui trunco quem plantauere Parentes
Semina, peiori nocitura dedere veneno?
Quas ergo meruere luunt pro crimine pœnas
Humani, meritóque Parens excluditur Heden
Primus, & exoluit ſparſit quæ crimina primus.
Hinc, inquit Deus, hinc exi maledicta propago,
His excede locis, linque ocyùs, ocyùs orbis
Linque decus, vobis domus hæc indigna magiſtris.
Anglorum lachrymas, & qui ſuſpiria vidit
Cùm victi Gallis linquebant dulce Caletum,
Et procul à Gallis noua trans mare tecta petebant.
O vrbs ergo vale repetitis queſtibus omnes
Fruſtrà clamabant, oculóſque animóſque reflexi
Vrbem ſpectantes: vos ô conuexa valete
Templa, valete arces, vos culmina ſacra valete,
In quibus audiuit bis centum noſtra per annos
Vota

Vota, precéſque Deus, duris nunc auribus; arua
Noſtra valete: ſolum nobis natale valeto:
Túque vale diues portus: quæ condidit in ſe,
Valla valete, Anglus: Tu clima valeto benignum:
Condita non nobis à nobis tecta valete.
Quanto concuſſi mœrentia corda dolore
Nouerit, & tepidis vt fontibus ora rigarent,
Cùm Deus excluſit ſacrata ſede, Parentes
Æternùm: quia fido aditum cuſtode Cherubin
Obſedit, cuius dextra verſatilis enſis,
Cui micat, vt media, corpus, ſub nocte cometes,
Non elementari textum compagine corpus,
At totum cœleſte, parum quod diſtat ab VNO
Verè vno, puróque ACTV, nec ab ESSE quod vnum
Exiſtit, longè diſtans, declinat ad eſſe
Materiale, tamen craſſo quod corpore non eſt
Mixtum: aut materie potiùs ſit ſpiritus illa,
Cuius continuum corpus non ſoluerit enſis:
Nam quia pura illi datur actio, paſſio nulla.

GVIL. SALVSTII
HEBDOMAD. SECVNDÆ DIEI I. LIBER III. SEV FVRIAE.

QVò feror? heu vbi ſũ? nec me tenet amplius orbis,
Quã tero terra, polus Phœbi dum lumina, noctes
Dum vehit, axoſo veteres referet-ne dolores?
Sorbeo quem longis hic aër hauſtibus, vdum
Quod mare ſcindo nec id quod erant in origine mũdi
Sunt opus: hic orbis non ille eſt ampliùs orbis,
Quem vario Æternus rerum cælarat honore.
Nil niſi carcer adeſt, nihil hic niſi triſtis Auernus,

Prob

Proh dolor! hic primi mundus ferale ſepulchrum.
Summe Deus, cuncta inſpirans ô Spiritus, ô qui
Iudicis (antè parens) iuſti mutatus in ora
Orbem mutaſti, muta, mentémque refinge,
Indue cœleſti calamum, muſamq́; cothurno,
Totus vt æthereo venturis percitus œſtro
Mutatum poſſim cantare nepotibus orbem.
Antè Deo *quàm terga procax, colubróque dediſſet*
Primus homo frontem, mundi vaſtiſſima moles
Iſta, chelym docta ſtructam referebat ab arte,
Cuius ab æthereo reſonarent carmine laudes
Æterni, dextra quam læderet ipſe ſonanti.
Tunc homo Trinunum pulchra pietate colebat,
Omnia ſecuro dabat herbida terra colono.
Certatim placidæ ſeruabant otia pacis
Corpora, quæ gremio latè complectitur orbis,
Nexáque principibus geminis peramica manebant.
Infima ſupremis concordi pace ligata
Frigida iungebant calidis, humentia ſiccis
Fœdere conſtanti: ſacrato ſingula viſco
Inculpata parens Aſtræa ligabat Amoris.
Nam qui cæcus amor ferro magneta maritat,
Stramen & electro, qui nectit hydrargyron auro,
Qui Pinnam teſta, Squillámq; coërcet in vna,
Qui vinclo Capram ſociat, Sargúmque iugali,
Littoream nitidæ myrtum qui nectit oliuæ,
Aſparagum cannæ, iungit qui vitibus vlmos,
Scintillas, vmbram, & veteris veſtigia tantùm
Præbet amicitiæ, primis quæ floruit annis,
In quibus harmonicos noſtra ſubnectere muſa
Cœlicolûm ambroſiis audita cantibus hymnos.
Aſt homo, ceu princeps mundi in teſtudine neruus,
Diſſonus, adiunctis metra dat quoque diſſona neruis,
Et fera mellifluos cantus in murmura vertit,
Queis horret Bellona *furens,* Bellona *vetuſtas*

Quæ reuocat lites, & primæ iurgia molis.
Qui vultu dominam cœli ſpectare ſereno
Inq; ſinum mannam, & fragantia mella ſolebant
Fundere, nunc rapidis abradunt imbribus, vrunt
Ignibus, extinguuntq; gelu, niuibúſq; ſenectam
Maturant, quatiúntque immani grandine tergum.
Oſſáque percutiunt irato fulminis æſtu:
Contrà fata dolens, atque indignata ſeuerum
Supplicium, piceos è pectore terra vapores
Mille vomit, ſæuámque eructat opaca Mephitim,
Et cœli nigris conſpurcat nubibus ora.
Dein lupus in ſtabulis tremulo inſidiatus ouili,
Nunc horret mollis milui gallina volatum,
Inq; fugam gallus vertit clangore leonèm,
Latratúſque canis compeſcit hyæna moloſſi:
Quin (dictu mirum) plantis quibus indiga ſenſus
Vita nec abſimiles pugnæ: nam vinea caulem
Odit, & ille panem porcinum: mutua miſcent
Iurgia, canna, filix: veteris veſtigia belli
In viduis etiam linquunt Dodonia quercus,
Pallentéſque oleæ foſſis. Diſcordia *nullo*
Tempore victa, nequis vitam tolerare ſepulchro
Alteri in alterius; viuis poſt funera; parcæ
Obſiſtis, nunquam lethæo flumine merſa.
Sic agni claudens reſonantia tympana pellis
Audita vel pelle lupi crepat, hiſcit, inhorret;
Ille lupi intortum tacitis ſic viribus agni
Ilia confringit, quæ pro balatibus antè
Sæpe datis, plectro dulces dant ſubdita cantus:
Penna vorax Aquilæ, volucrum quoq; deuorat omnes.
Interiore ciens primum ſibi mobile motu
Motum, quo leuibus longè velocior Euris,
Cœleſtes rapidis ſecum rapit orbibus orbes,
Atque ab Alexandri peruix altaribus aſtra
Torquet ad Herculeas curſu properante columnas.

At

At mortalis Auus princeps telluris vt errat
Ingrediturq; viam lethi, rapit omnia ſecum:
Ille procelloſo nauclerus in æquore vaſti
Orbis, agens cœco ingentem moderamine nauem
Cæleſtis ſcopulos præceps detrudit in ira
Nauifragam, placidi tenero quam flamine venti
Antè per auſpicium, & docti rectoris habenas
Pellebant. Namque ante ſcelus quocunque volutet
Mirantes oculos, ſummo videt omnia late
Plena Deo, in terris reperit, videt æquoris vnda,
Sedibus aëriis, pictoq; agnoſcit in orbe:
Hic nihil eſt orbis totus niſi vaſta taberna
Qua Deus *immenſam ſplendens exponit opum vim,*
Nilq; niſi ſpeculum quod parte coruſcat ab omni,
Quo cluit innumeris Superi indulgentia donis,
Quo diuerſa Dei videt vndiq; munera lætus.
Aſt vbi peccauit, plantis, animalibus, hortis,
Fluminibus, ſyluis, lapidoſis montibus, vndis
Aequoreis, ripis, campis, & portubus vdis
Pellegit ad ſcriptam mœſtus pro crimine mortem,
Denique nil patulis mundus complectitur vlnis,
Quod non fulmineas teſtetur numinis iras,
Vt negat Ada Dei ſummittere colla capiſtris.
Obſtupet improuiſo in ſe conſurgere bello,
Mollibus imperij quæcumque inflectit habenis.
Aequora ab inſanis raptim iactata procellis,
Et ſterilis tellus, & opacis nubibus æther
Obductus, rigidiſq; nocens Aquilonibus aër,
Ceu Sacramento, ceu prima lege ſoluta
Neglectos Superi ſponte vlciſcuntur honores,
Atq; inimica malis influxibus aſtra rebellem
Caſtigant: gelidis artus ſub nocte ſerena
Degrauat halitibus Latonia virgo: refulgens
Contrà Latona flagrantibus ignibus vrit:
Sulphureo nidore inopina tonitrua mittit,

Imbribus exercet nimbis, & ninguibus aër,
Grandine marmorea vexat, gelidiſque pruinis:
Mox arte eliſus, mox miſſus ab æthere, caſu
Mox rapidus tecto paſcens ſub diuite flammas,
Mox & montano ſaliens vulcanus ab antro,
Quo pix, quo pumex, & olenti ſulphure flamma
Erumpunt, in eum rabidus crepitátque, furitq́;,
Vnáque, mille annis auidè congeſta, vorat lux,
Quin freta fluctiuagis obducunt æſtibus Iſthmos
Deiiciunt vrbes, armentáque gurgite ſorbent,
Ac pecudum genus omne trahunt. Satiata profano
Pondere, turrigeras tellus in hiatibus vrbes
Condit; & integros tractus, abſcondit in imo
Splendida tecta ſinu, & procera palatia abyſſis,
Et poſtquam à variis Cerealia ſemina cepit
Artibus, ingrato ſteriles de viſcere plantas
Exerit, & lappis, lolio, tribuliſque fatigat
Triticeam meſſem, & vacuis illudit auenis.
Quid tam parua moror? nobis iniuſta nouerca
Iuſquiamum profert nigrum, & furiale ſolatrum,
Atque ſoporiferum, mordáxque horrenſque papauer:
Carpaſáque algenti, rigidóque nocentia ſucco,
Et ſingultantem, pigramq́; oculiſque cicutam
Turbida miſcentem: clamoſo eſt plena napello,
Linguicremo, & multùm fœdanti labra tumore:
Et ridens apium, & lachrymoſo aconita veneno
Pſylliaq́; horrificis quæ pectora luctibus opplent
Et tollunt aqueis, gelidiſque tumoribus aluum,
Nec non peſtiferis qui morſibus ile laceſſunt
Agreſtes bulbos, & quæ Circæia ſomnos
Dant Stygios, atque alma vrentem viſcera taxum
Exerit, & atque angens ab ea venit Ixia guttur,
Quæ vel funeſta radice, aut ſemine tetro,
Aut etiam infenſis maturant funera ſuccis.
Teſtis humus pulchra nobis pretioſius aurum

Vir

Virtute & vita, ſtultóſque incumbere tantùm
Diuitiis homines, dulci permiſcet in eſca
Tantum vltura ſcelus, quæ nos crudelia ſæuis
Morſibus excrucient; argentum mobile, duram
Illa dat argenti ſpumam, & lethale reagal.
Sic nos dementes ab eadem ſæpe fodina
Tormentum eruimus mentiſque & corporis atrox.
Sed quid plura canam? vento ſpirante ſecundo
Veliuolas naues non inferiore labore
Cærulea prudens nauclerus in æquoris vnda
Temperat eximia ſpectacula ludius artis,
Queis animum ſtudio quæſtus inſpirat auaro,
Non meliùs quas vult partes detorquet in omnes,
In choreas, pugnas, curſus, ciet inq; recurſus.
Quàm genus alituum quod mulcet inania cæli
Carmine, ſquãmigerúmq; pecus ſine voce, quod almæ
Magna procelloſæ Tethyos ſecat arua natatu,
Et latè ſyluis, latéque vagantia teſcis
Fleximus imperio fœlici ſecla ferarum,
Vox quibus algificum faciebat noſtra timorem,
Queis nictus eſſent noctri tot pondera legum,
Nec iuſſa obnixè nobis ſacra munera obirent.
Proh dolor! at diro dementum crimine Auorum
Exercere hominem cœpere tyrannide ſerui.
Si caua vela damus, raptim feruentia vertens
Æquora, qua vehimur mediis in fluctibus arcem
Per freta Delphinis, Aquilæq; per aëra fuluæ
Certantem, tumulat commotis Cetus in vndis.
Si terimus campos, funeſtas agmina mille
Inſidias nigro faciunt armata veneno,
Cyniphiæq; nocent pungenti peſte cohortes.
Præterea nobis lupus, vrſus, apérque, leóque
Inſultant rabidi: domino, regique cruentum
Indicunt bellum, neglectáq; iura ſupremi
Numinis vlciſci ſtatuunt, atque vnguibus artus
Dila

Dilaniant noſtros,lacerant crudeliter ora.
Syluarum denſis paſſim ſtabulantur in antris
Tortores lucem,qui deprædentur amicam,
Sæpibus à nullis,nullis homo tutus ab antris
Quin illum minimo deterrent vimina motu:
Subtectis etiam pede,cornu,dente laceſſunt
Nos equus, atque furens taurus,mordaxq́ꝫ moloſſus
Irati tetros terris hærere tyrannos,
Ipſe & in humanos torquet ſua ſpicula Conops.
Heu! quæ terribiles formæ?quæ triſtia monſtra
Heu!qui latratus?Heu!quanta tonitrua?quanti
Clamores?Num ſto rapidis in faucibus Orci?
Heus tu Tiſiphone,Alecto,furibunda Megæra,
Cur ſine ſole domos,rabidæ cur linquitis antra?
Quæ noua mens vobis?quod pectora perculit œſtrum?
Horrida monſtra,Acherontigenæ,Diiſque miniſtræ,
Ditis at æterna cui frons caperatur ab ira,
Quæ vobis hîc cauſa moræ?non verbere,veſtris
Non opus hîc flagris:homines ſatis ampla coërcent
Supplicia:Heu!magnas pendunt pro crimina pœnas.
Vix erat egreſſus ſacrati limine clauſtri
Victurus noſtra Genitor tellure,ſepulchro
Aut potiùs triſti,regnant vbi funera mille,
Quando tonante Deus ſceleratam voce cateruam
Cocyti quæ ſtagna bibit, Stygiamq́ꝫ paludem,
Cœnoſúmqꝫ Acheronta colit, Phlegetontis & ignes,
Compellat,Vos ô colubrino crine ſorores,
Eumenides ſauæ,quid anhelo pectore contra
Vos iuuat æternas vltrò ſic vertere pœnas?
Eia agite,euge domos triſti pallore tremendas
Linquite noctigenæ:fugite ocyùs;ocyùs huc vos,
Huc agite:has nigro terras ſpurcate veneno;
Otia nulla dabit veſtro locus iſte furori,
Mille parat vobis Erebos erroribus Ada.
Hæc vbi dicta dedit,totum tremefecit Auernum,
Illico

Illico nox grauiùs geminatis horruit vmbris:
Gurges odore grauis, quo luridus imperat horror,
Extemplo impletur pingui pice, ſulphure odoro:
Ventrem Pythones, Harpyiæ, Gorgones, Hydræ
Ingluuie horrendum, fœdáque voragine pandunt.
Vt denſa latitans nubis caligine flamma
Obſtrepit, oggannit, dat opaco murmura cœlo
Plurima, mox multùm tonat, attonat, intonat horrens,
Atq; per immenſos metuenda tonitrua curſus
Euoluens, crepitante ſono replet aëra totum.
Haud ſecùs immanes furiæ, tripliceſq; Sorores
Omnia concutiunt, trepidiſque tumultibus opplent
Erupturæ Orco, ferratáque plauſtra volutant
Ferrea per Stygij pontis, tremebundáque clathra,
Clathra nouena nouem Stygis iniungentia gyros:
Diſcurſant, ſtrepitant, errant: pauor, horror, & angor
Carceribus ſæuis geminantur, & hydra cruento
Ore furit, cuſtóſque Erebi qui corpore in vno
Serpentis caput, atque vrſæ, taurique leæq;,
Et canis, acris equi geſtat, lynciſque, lupique
Sibilat atque fremit, mugit, rugit, allatrat, hinnit,
Gannit, baubatur ſuccuſſu pectoris vno.
Multifidi ſtrepitus, clamores, murmura mixta,
Edita multa ſimul vocum diſcrimina multis
Faucibus exiliunt, ſed ab vno corpore manant.
Vt lucis noſtræ portum tetigere quietum
Turbine, quem rapidis, nec adæquet Circius alis
Inſultant homini, ſæuíſque immania dextris
Supplicia effingunt, certantque laceſſere pœnis.
Ecce venit funeſta Fames mera mortis imago,
Dura cui nigram pungenti cuſpide pellem
Oſſa forant: hæc ſemper hiat, mersíque cauato
Orbe latent oculi; facies compreſſa, genæq;,
Iuncta genæ, & rari ſordent flauedine dentes,
Quin vacua apparent ſub laxa viſcera pelle,

Ven

Ventris ei pro ventre locus, ſceletóque rigenti
Protuberant genuúmque orbes, cubitíque: voracem
Illius ingluuiem ſaturare quod educat orbis,
Vix vno poſſit paſtu: ſibi quærit in eſca
Eſcam guttur edax, epulas epulæq; ſequuntur,
Implacata aluus fit ſemper inanis edendo,
Dulcia nec ſatient lurcata pignora carne,
Quòd magis, interdum, vah! portentoſa vorago,
Ieiuna vt repleat ſua viſcera viſcera mandit.
Grandiat vt corpus tenuat ſibi corpus, & atrox
Hoc vultu atque habitu crudeliter excipit Adam.
Præterea inualidas vires, rabiémque ſitimque
Sedibus è nigris ſecum hæc in prælia ducit.
Hanc ſequitur Bellona *terens legéſque pióſque*
Mores, euertens arces, lachrymoſa, cruenta,
Illa, nefas, ſpargit ſcelerata incendia tectis,
Concutit ærato terram pede, fumus anhelo
Igneus ore fluit, mittítque tonitrua voce,
In digiti cuiúſque vicem datur ænea canna:
Fulmina fulmineo vibrat rutilantia nictu.
Deſperata ſalus, Pauor, & Confuſio triſti
Iuncta fugæ, illius præeunt alata cohortes,
Sicut diſsidium, Rabies, Incendia, Raptus,
Libera Sæuities, Horror, Populatio, Faſtus,
Excidia, Impietas, partes comitantur in omnes.
Triſtis Pauperies, Luctus, Deſerta ſequuntur
Sanguinea indomitæ retrò veſtigia turmæ.
En ſoror huc ſequitur, ni me ſententia fallit,
Dirigit in primum Stygiæ tormenta Parentem
Mille domus: ſentiſco, meis nec cernere poſſum
Hanc oculis: ibi plura poteſt vbi robore præſtat
Illa minùs: timido pallet mœrore, malignis
Vlceribus ſcatet, & flammis febrilibus ardet:
Mentis inops, gibbo deformis, claudicat: orba
Lumine corporeo manca eſt & ſurda: venenum

Nomi

Nomina cui centum,& mortis fabricator acerbæ,
Huc meat effrænis,remeat pigra deſide paſſu:
Deformis moroſa,tenax,inimica quietis,
Infœlix,corda inuadens,immanis hirudo:
Huic intemperies mater,ſceleratus & ordo
Cœlorum; labes crudelis cognita,labes
At mage crudelis quando non cognita ſæuit.
Nec plures ſubter capiunt viridantia Grillos
Prata,nec illa ſuper plures æſtate Cicadas,
Quàm variæ circùm reboant ſqualentis Auerni
Voces : nec plures conducit Regulus audax,
Quando fauent placidi terſa caligine cœli,
Melliferæ gentis volucres , fundamina ponens
Prima fauis,tenuíque caſæ,quam triſtia tetro
Inuadens hominem bello, regit agmina monſtrum.
Aſpice terribilem certamina prima cateruam
Miſcentem,& ſacræ rationis tecta petentem:
Illa furens, animæ caſtrum , caput obruit Adæ.
Vicinum regno cupiens Rex trudere regem
Haud priùs inſurgit, nec aperta dat ordia Marti,
Quàm vafer ille fidem regis corruperit auro
Conſilij,quo prima ſalus tutelâque rerum:
Sic eiecta Chao canis hæc,Ereboq́;, priores
Præcipitem emittit Maniam,rabidámque Phreneſim,
Quarum illa exſiccat nimium.nimis iſta cerebrum
Calfacit,vt mentem faciant rationis egenam,
Obtundántque aciem,& deludant mille Chimæris.
Diuerſis armis ab eadem parte feroces
Irrumpunt hoſtem,Caros,Lethargia, Coma:
Nam quo perfundunt cerebrum,perfunditur illo
Frigore corpus : adhuc viuentia corpora,fato
Aſſimilant functis , vno diſcrimine tantùm,
Quod referant gelidos Lethæo à flumine greſſus,
Iámque ſui torquent Pareſis,Spaſmúſque furoris
Tela,Patris neruos hic contrahit,illa reſoluit,

Heu!

Heu! via ſpiritibus nunc intercepta negatur.
Ac veluti dicto certamine ſolus in vnum
Qui pugnat, corpus partes deflectit in omnes,
Inclinat, ſinuat, vertitq;, & verberat hoſtem,
Vtitur & dextro prudenter tempore; torquens
Interdum chlamydem flagrantia lumina in hoſtis,
Impetit intrepidus, ruit, & mucrone ſequaci
Exciet illi animæ filatim ſtamina rubræ.
MORBVS vt acceleret patris lachrymabile fatum,
Quem iam multa tenent lethali vincula lecto,
Miſſilibus tunicas oculorum, & ſanguine vexat
Quem liquat hoſtili feruens Ophthalmia more;
Proxima ſuccedit ſuffuſio cana, Serenæ
Iuncta comes guttæ, quarum hæc glomeramine craſſi
Phlegmatis occludit luci ſua limina, neruos
Obijce præcludit viſiuos: illa refuſo
Humores oculi vitreos velamine condit.
Haud mora ſuccedit furibundis paſſibus ille
Griphus, cui quondam nomen poſuêre Synanches,
Hoſticus inſultat collo, carneſque laryngi
Vicinas opplet denſato ſanguine, guttur
Comprimit, vt patri geſturus quanta futuram,
Indicet in ſobolem tanto ſit robore bella,
Amphitryoniadæ ſimilis qui mollibus hærens
Indomitum cunis animum iam fronte gerebat,
Qui dextra, neq; iam dextra, quin forcipe aheno
Squammiferum elidens anguem, promiſſa triumphi
Iam dabat Hiſpani, Lernæa trophæa parabat
Atq; Cleonæam cingentem tempora pinum.
Ecce ſecunda cohors lethalibus irruit armis
Vitales temerat numeroſo milite partes:
Pulmonem denſo iamq; obſtruit Aſthma catarrho,
Tabificoq; Phthiſis depaſcitur vlcere carnem
Quod labens tacito commiſit fluxio morſu:
Bronchia fumiferis replet ſpirantia flammis,

Incita quas toto Pulmonia corpore miſcet:
Pectore multa cauo ſtagnans Collectio puris
Enecat;& pleuram crudeli cuſpide ſoluit,
Succenſoq; ferit Pleuritis ſanguine coſtas
Dæmonis in morem pectus conculcat anhelum
Incubus,& denſo preſſat diaphragma vapore.
Dicite Mnemoſides, oracula docta docete,
Quis miles ſæuo cuius tremebunda furore
Membra rigent, medióſq; furens qui fertur in hoſtes,
Funeream q; gerit medio ſub pectore tædam,
Quem fidi ſtipant comites Tremor, Horror,& Ardor,
Et ſitis atque frequens Pulſus, deliria, Tuſsis,
Syncopa, Singultus, Cephalalgia,& oris hiatus,
Num furia eſt noto febrem quam nomine dicunt?
Cui leuis immigrans formas vertumnus in omnes
Ceſſerit, aſsiduis quæ nunc ſit noxia flammis,
Otia nunc vnam, captet nunc otia luces
Per geminas, cunctis modò quæ rediuiua diebus
Surgat, & aligero præceps mox vſtulet igne,
Viſcera mox lentis vrat vitalia prunis,
Vt varius, varióſq; ciet per corpora motus
Mobilis aut humor, vel pigro pondere tardus.
Nec te crudelis, nec te ſæua hoſpita norim
Corde meo quæ bis geminos remorata per annos?
Heu! tua tot ſuperant veſtigia corpore, tantis
Tot mea mens toties inſultibus icta fatiſcit,
Non contenta ſuo venas vacuaſſe liquore,
Inq; meis molles ſcelerata liquaſſe medullas
Oſsibus, attritam liquiſti in corpore mentem:
Mens hebet,& tepide langueſcunt pectora thyrſo:
Antè parum memori, ſimulachra recondita mente
Heu! nunc delentur veluti via nauis in vnda,
Et ferè tota meis quæſita ſcientia curis
Fugit, vt inſcitiæ mihi conſcius ora pudoris
Murice moeſta tegam, qualis Trapeſuntius annis
Multa

Multa ſciens primis maturo ignarus in æuo,
Qualis Coruinus qui minis immemor:hinc fit
Carmina vt inuitis fundam febrilia muſis:
Carmina diuino quæ nunc animantur ab igni,
Indocto quæ nunc horrentia frigore torpent.
Tertia lethiferis acies accincta maniplis
Naturalis agit largam virtutis in arcem,
Pabula corporibus,crementaq́; mollia dantem:
Nunc Anorexia,nunc Bradipepſia cruda,minoris
Antra petunt ventris:nunc Pica,faméſq; laceſsit
In iecur Arguatus bello conſurgit,iterq;
Occludens croceo felli,pro ſanguine puro
Inficit ignita totum bile corpus:& hydrops
Frigore conculcat , pallenti phlegmate replet
At mage crudeles video qui lubrica telis
Inteſtina petunt hoſtes:heu!carcere clauſis
Flatibus excruciat Colicus dolor;Ileus vrget,
Fœcibus aſſueti qui non det tranſitus vſum,
Oraq; nidore,& remeanti ſtercore fœdet:
Tormina detradunt,atque orbant ſanguine venas.
Inſilit in renes,diris cruciatibus angit,
Atque iter vrinæ labenti præpedit aſper
Calculus è muco ſenſim glomeratus aduſto:
Vt contra lotium Diabetes vertit in acre
Humores,tantúmque ferax deferre canali
Aſſolet vrinæ quantùm eſt in corpore ſucci.
Membra domant,nobis quæ in ſecla ſequentia linquũt
Viuida ab extinctis noſtri ſimulacra:Poteſtas
Extincta Italiæ veneris:Profuſio multa
Seminis haud cocti:prolem crudeliter ambæ
Nondum conceptam ſatagunt delere parentes
Exoſe,vixq́; arte furor placabilis vlla.
Quarta cohors Scrophulis,Scirrhis,Oedemate, Cancris
Herpete.igne ſacro,clamoſa Arthritide,rubro
Phlegmone militibus proprijs in prelia caſtrum

Prouocat obſeſſum: ſed vbi cœpta irrita, vanos
Vt videt enixus, rabiem conuertit in æquor.
Imbelles gladios vaginis indite: ſenſus
Iam mors eripuit veſtris per prælia centum
Hoſtibus, & fudit per vulnera mille cruorem.
Crudelis tamen, ô diræ, non frontis honori
Parcere dextra poteſt; habitum turpatis iniquæ
Corporis: obtuſo iuncturas ſcindere cultro
Gaudetis; pellem partes in mille ſecatis.
Cernere conferto timidas vulpéſq; lupóſq;
Agmine teſqua putem per inhoſpita, fortè leonem
Exanimem, & magna ſtratum qui mole iacentem
Nacti quem regio regem dum viueret omnis
Horruit, atq; oculi ſola quos luce fugaret,
Crudeles lacerant, extincto in rege puſillas
Segnibus attentant vires conatibus vnà.
Inſcribam-ne malis humana tegentibus ora
Phthiriaſim foedam, foedum & miſerabile règum
Supplicium? Tumidos reges ſordentibus æquat
Mendicis, qui ſub lacerata veſte pereſi
Vermiculis, dorſum ſcalpunt nocteſq; diéſq;:
Innumeris tecti phthiris mordentur, vt artem
Deſpuat hic morbus, quem non mutatio lecti,
Non repetita iuuet perfrictio: nam velut vndam
Vnda ſequens ſcatebra pellit deducta perenni:
Hoc aliudq; aliudq; ſubit de corpore manans
Examen, fœcunda in ſe nimis vbere ſucco
Carniuoros hoſtes generat caro; pabula corpus
In ſe habet: immanè ſe lurcat inuſq; ſepulchrum.
Ne tamen Eumenidis poſtremæ credito turmas
Fortunæ cœco volucris moderamine duci:
Eligit illa ſuis ætates, tempora, regna
Militibus: Scrophulas hinc gignit Iberia multas:
In Luſitanis Phthiſis eſt percrebra colonis:
Altera Cyprini fœcunda eſt India morbi:

Sardinia in peſtem prona eſt:Sabaudia guttur
Attollit bociis: Aegyptus ſordida lepris:
Herculeiq́; ferax tota eſt Hetruria morbi,
Vt variat natura ſoli, cœliq́; poteſtas.
Sic generat crudo vermes infantia ſucco,
Eſtq; diarrhœis obnoxia phlegmate natis,
Salſa illi pituita fauos & gignit achores,
Natiuſq; calor ſecernens corpore fœdam
Sanguinis illuuiem materni, ecthymata mille
Sanguineis pellem profert turpantia bullis.
Incidit in Synochos febres Tabéſq; iuuentus,
Sanguineos patitur fluxus, rabidaſque Phreneſes:
At tremulos motus,Tuſſes, Arthritida,Rheuma
Excipit hoſpitio triſti matura Senectus:
Sic febris quartana,Hydrops,dolor Iſchia pungens,
Atque hæmorrhoides, peſtiſque humore parantur
Autumno:Alcidæ morbus, tumidaq́; mariſcæ,
Et ſcabies nobis inſultant vere renato,
Atq; diarrhoeis,Cauſiſque vrentibus æſtas
Turgida,Pleuritis, Tuſsis, torpenſq; Catarrhus
Brumalis plumæ velantur tempora floccis,
Atque domos hyemis ſteriles ſtationibus aptant.
Militibuſque aliis graſſantia cerno venena
Corpora quæ vaſtent humana, è corpore corpus
Quæ ſubeant aliud ſemper ſeruata priori,
Quales ſunt Anthrax, Phthiſis,Exanthemata,Lepra
Bubo , lues nobis quam tradidit Indica Cypris:
Atq́; alios video quos ipſi effundimus omnem,
Morboſi in ſobolem: quales ſunt Calculus,Hydrops,
Arthritis, Bocium,Scrophulæ, Phthiſis,Hernia,Lepra,
Atq; ſacer morbus : nam peſtis cœca nepotes
Delitet inficiens male ſano in ſemine patrum.
Heu! quibus inſtructi ſæuum veniemus in hoſtem
Armis,quoue dolo ? vel quæ medicina dolores
Mulceat, ambiguæ quorum ars ſit neſcia cauſæ,

Conſcia ſenſilibus quæ tantum effectibus hæret?
Tales hyſterici motus, & ſyncopa talis,
Talis & herculeus langor, quos aura veneno
Ignoto, ignota generat ratione, locóq;.
At poſſet morbos eadem vitare tenaces,
Qui medicas fallente dolo deludere dextras
Norunt, atque ægro ſecluſi corpore, rurſum
Languida mutato ſubeunt ſub nomine membra?
Vel potiùs Samiæ callentes dogmata ſectæ
In facies alias peiore peſte nocentes
Immigrant: laſa ſiue hoc cognatio partis,
Aut etiam reprobi ferat hoc cognatio ſucci:
Siue nouam vectet labem non gnara medentis
Cautela, aut pluris lucri ſcelerata cupido:
Sæpe melancholicam raptat dementia mentem,
Sæpe mahumeti venit è vertigine morbus,
Migrat in Hydropem moroſa cachexia ſæpe,
Migrat & ignauus crebrò ſtupor in Paralyſim.
Denique Anus ſimilis ceruo, quem ſæua furentum
Turba canum, dum ſe in latebras, denſúmque cubile
Proripit, inſanis moribundum morſibus vrget:
Vndiq; circumſtant, merſiſq; in corpore roſtris
Dilacerant: hic dente latus petit: auribus ille
Hæret, & hic iugulo inſultat: pars pectus & armum
Conuellunt, rabidos morſus pars clunibus infert.
Indomito ſimilis Tauro, qui cornibus œſtra
Excutit: horriſono fugiunt cum murmure: ſed mox
Inuadunt hoſtem, telis atque agmine denſo
Infeſtant: Taurus nequicquam verberat auras
Fronte, quatit pedibus terram, quatit ilia cauda,
Per ſaltus, rupes, & concita flumina fertur.
Vulneris ille fugit loca, diri vulneris ipſos
Nec fugit authores: confoſſus denique crebris
Vulneribus moritur, vel tota mole iacentem,
Immotúmq; putes vera decumbere morte.

Namq;

Namq́; homini inſultant morborum mille cohortes,
Cætera per pauci torquent animalia morbi
An non ſpicilegas tu ſola Epilepſia turmas
Ortygis æſtiua contundis? Ouilia tantùm
Aut ſcabie, aut tremula videas vertigine lædi;
Anginâſq; pati vigiles, rabieſq; moloſſos.
Quod mage plantarum tacitas hæc ſingula vires
In primo vitæ cognoſcunt limine: morbos
Vt primùm ſenſere fugant medicamine noto:
Antidotum in Rutis aries habet; inque cicutis
Teſtudo; & Perdrix, Merulæq; & Græcus amica
In lauro: Lybicis Mandragora profuit vrſis:
Maſsilienſe ſiler Lucina eſt altera capris.
Sed nos cœca tenet rerum ignorantia, donec
Lectio doctrinam nobis repetita librorum
Suggerat inſtabilem: nunquam benè cognita demùm
Cognitio hæc tantùm canentibus inſidet annis:
Arſq; homines fallit, qui cùm ſeruare ſalutem
Ingrato effœti tandem didicere labore
Humanis, ipſi propria cecidere ſalute,
Aut aliena probi per multa pericula, multa
Per damna artifices fiunt, per iniqua ſepulchris
Pocula dant ægros, poſitóq; pudore ſceleſti
Poſcere carnifices munus pro cædibus audent.
Hæc non dicta probis, doctis, ſapientibus, alto
Quorum corde manet pietas, cultúſque Superni,
Quippe animas ægro migrantes corpore ſiſtunt:
Hos ego ſuſpicio nobis vt ab æthere miſſos,
Qui mortes abigant, cordiq́; inimica venena,
Qui florens æuum, & natiuas corpore vires.
Conſilio ſeruent, phyſeóſque, Deiq́; miniſtri,
Et fluxam docta confirment arte ſalutem.
At ſi quos mulcet, mollitque humana dolores
Ars, hoc edocuit doctos ſchola muta. Caballo
Venit ab æquoreo venarum ſectio, Capræ

Agreſtes oculi docuere expellere morbos.
Clyſteris primus monſtrauit Erodius vſum,
Nigra prior roſtro ſe polluit Ibis acuto,
Oppoſuere ſuis vrſi ieiunia morbis,
Et victu morbos ſuperant tenuante leones.
Corpus agunt tantùm ſcelerato marte cohortes
Ante data, telis aut corporis intima pulſant,
Aut ſua in externas euibrant ſpicula partes:
Miles at eximiam ſi quis certamine mentem
Impetit, haud primò, ſed primitus organa perdit,
Queis animus vario peragit data munia motu.
Quattuor ecce duces qui ſola in mente morantur,
In mentem vertunt acies, ſœuumque furorem:
Perturbant, quatiunt, conſtanſque à tramite recto
Iudicium pellunt, pater eſt ſententia fallax,
Ac licèt effugiant oculos, & corpore in imo
Abſtruſi latitent, motu noxáque pateſcunt.
En prima Anxietas quam turbida nubila totam
A capite ad calcem velant: deliria ſemper
Euoluit, corpuſque gerit vultumque ſenilem
Ante annos: frontem rugis arat, atque receſſus
Inquirit tacitos: ſuſpiria pectore ab imo
Plurima proiectat, lachrymis rigat ora: moleſtum
Angorem ducit, qui ſe depaſcitur: eius
Aduenit auſpicijs mœror: Miſeratio fletu
Inſequitur: rabidos hic deſperatio planctus
Perſonat, aſpidibus, laqueis, atque horrida prunis.
Inuidia hîc toruo vultu, quæ rebus opimis
Marcet amicorum: Polypóque ſimillima ſe ſe
Iugiter exedit; lachrymis & iugibus iras
Demulcet furibunda graues, & iniqua ſiniſtris
Gaudet ouans hominum rebus, dein liuida paſſu
Suſpicio vigili ſequitur: caua lumina nunquam
Deuincit ſomno: ſine fine explorat, & optat
Cernere quod non vult: ſemper timet anxia, & eſcas

Negli

Negligit appoſitas: nec laxat membra quiete.
Lætitia effuſis ſequitur clangoſa cachinnis,
Saltitat, inſanit, quam non via continet Appi,
Deliciis largè cumulat reſupina Voluptas:
Huic aſſentatrix, blaterans, clamore moleſto,
Omnia conturbans comes eſt Iactantia mendax,
Atque Giganteis elata Superbia pennis,
Vertice flammiferi tangens laquearia tecti:
Vndique circumſtant alij, quos turgidus inflat
Faſtus, & aſſimilat ventoſis æquore bullis
Quas genuit pluuio delapſus ab æthere nimbus.
Corde Timor trepido frigens cui ſanguine pallent
Amiſſo venæ ſteriles ſuſpenſus, & anceps,
Nempe cui nullum ſupereſt in pectore pectus,
Iam tamen humanos domitat: Terrorq́; ſeuerus,
Triſtis, & agreſti inficiens pudor ora rubore,
Illi ſe adijciunt comites: comes adijcit illi
Se pigra tardigradis Ignauia paſſibus, vlnas
Vincta lubens ferris, & aheno compede vincta,
mille ſibi fingit delira ſomnia mente,
Turpis, iners, neruis mendicat lenta ſolutis.
Túque Patri inſultas funeſto marte Cupido,
Quam mare, nec cœlum, nec terra, nec humidus aër
Exaturent: cui vaſta patet pro ventre vorago,
Vngues pro manibus carpo curuantur vtróque,
Próque oculis gemini voluuntur in orbibus vnci,
Cui comes Ambitio, quam tabidus ignis adurit,
Cuius habet nullas inſana Superbia metas.
Non Epicureis ſatiabilis impia mundis;
Pictáque ſceptra manu tractans, in prælia ſecum
Ducit Auaritiam horrentem mordentibus hamis,
Quam gluten inueſtit, Syrtes quæ pontibus Afras
Nullis, & nullo latrantem ponte Charybdim
Traijcit: illa magis creſcit quò maior opum vis,
Monſtrum audax, infidum, odit ſylueſtre quod omnes,

Et ſibi, dum damno eſt alijs, damnoſius ipſi,
Omnia poſtpoſito dulci contrectat honore,
Indiget in medijs opibus ceu Tantalus alter,
Quæ cupit enumerat non quæ iam parta, volucris
Alta petens nunquam pennis, in prælia ducit
Iram, quæ celeri ventoſa tonitrua curſu
Præuertit, dentes vt aper ſtridore fatigat,
Cæſaries inculta horret: nunc igne micantes
Illa oculos rotat, illa ſolo nunc pangit, & atrox
Qui modo pallet, ei vultus modò flagrat, aperto
Gutture bacchatur pede percutit horrida terram,
Ac manibus furibunda manus complodit, & enſem
Et tædam atque facem pugno premit, impia mactat
Quos deflet cæſos, vt inurat vulnera vulnus
Deſpuit: aſsimilis muro iam iamq́ cadenti
Qui ſimul aëriis excuſſus flatibus, idem
Quo ſubiecta quatit caſu quaſſatur eodem.
Tuq; pharetratum ſæua hæc in bella tyrannum
Ducis: at abſtineo poſt tot depingere Apelles,
Gallia quos genuit. Tandem vexilla ſequuntur
Tot tua belligeri, quot ſunt bona vera, vel ipſe
Autumat Ada, boni deluſus imagine falſa:
Omnia qui moderans animantum ſecula toto
Orbe, tamen iuſtis haud ſe moderatur habenis.
At ſi quæ feriunt damnoſa pathemata mentem
Fulguris in morem ſubito delata, fugaci
Ferrentur motu, foret hæc tenuiſsima labes:
Sæpe ſed infeſtum diro ſub vulnere linquunt
Mucronem: hac ſaliunt cœnoſa ab origine furtum,
Proditio, Ebrietas Inceſtus, atque hymenæi
Tot vetiti, fraudes, Blaſphemia, pacta doloſa,
Artes ſacrilegæ, Inſidiæ, Populatio, *Cædes.*
Heu! letho peiora luis contagia veſtræ,
Corporeos quanto ſuperant diſcrimine morbos,
Qui fera committunt ſub aperto prælia Marte,

Et moris dant multa ſui, fortiſque futuræ
Signa, vel à tremulo pulſu, varióue colore
Ducta, vel à ſæui ſtimulo pungente doloris,
Vt noto facilis morbo medicina paretur
At quia iudicium cœcante tyrannide labes
Hæ tenebrant, iuſto debent quo iudice noſci,
Ignotæ remanent: hinc & Podalyrius ipſe
Non petit Anthicyras, labem qui neſcit inuſtam.
Præterea quem febris habet, febrire fatemur,
Quem tenet albus hydrops, nobis hydropicus ille
Dicitur, ac nunquam velamus nomine ficto
Crudelem neruoſa quatit qui membra dolorem;
At ſibi blanditur titulo mendace venuſtas
Dat vitiis animus facies morbóſq; latentes
Sic tegit, vt docta nequeat ratione recindi:
Quin facer innocuæ vitio virtutis amictus
Ceditur, hoc multò venæ peioris in æuo,
Quàm quod diffuſis terreſtria merſit in vndis.
Magnatum infames taceo turpantia lectos
Crimina tanta lubens, audax ne carmine duro
Auribus officiam caſtis vel munere fungi
Doctoris potius videar quàm tangere crimen.
Quos exeſt Cyprina lues: qui corpora ſyluis
Caſtellis, pratiſq; tegunt in vellera verſis
Aurea, quos opilus vel præceps alea nudat
Vel qui Troiano profundunt agmine gazas.
Vel qui diuitias epulis, dapibúſque peredunt
Fœnore quas ſtudium multo cumularat auitum,
Dicitur his magni larga indulgentia cenſus.
Qui fuco ſplendente genas, & veſtibus ornant
Corpus odoratis, blanda qui ludere norunt
Voce, interciſis qui paſsibus atque ſalaci
Intuitu, nihil vt ſuperet niſi barba virile,
Dicuntur lepidi, nitidique. Libidine cœca
Qui thalamos vſti violant, lectóſq; vagantur

Hœdi per varios, & qui ſermone doloſo,
Suzannas flectunt, nullo diſcrimine prædas
Haud vnquam expleti Cypriis venatibus omnes
Diſquirunt, geniòque fauent, dicuntur amantes.
Qui falſis vlnis, falſis contractibus, vſti
Turpis auaricia flammis, regalibus ornant
Tecta opibus: qui ſe centeno fœnore ditant,
Atque peregrinas merces, & phàrmaca fraudant,
Hos frugi dicunt homines. Quos vna cupido
Vindicta ſtimulat, qui cæde & ſanguine viuunt,
Queis ætas, ſexus nullo diſcrimine habentur,
Et ſortes ſine ſorte, feri graſſantur in omnes,
Sauáque crudeles manibus dant funera, dicunt
Magnanimos. Animis careas ô Gallia magnis
Cùm veſana tui ſubeant nunc prælia ciues,
Exponántque animos pro diris Hoſtibus acres,
Cùm viduet noſtrum natiuo ſanguine robur
Mœnia, deuaſtet florentes ciuibus vrbes,
Noſtráque diſſoluat quæſitis corpora plagis.
Vomeris in formam conflentur acinacis, haſta,
Et ſcutum, roſtróque iacens verſetur adunco
Tellus, auratis pede texat aranea telas
Caſſidibus. Si grata trahunt vos prælia Galli,
Sauáque viſceribus veſtris exardet Enyo,
Quæ ſpes tam longo patrijs vos detinet aruis
Tempore? prata carent, armentis, mœnia nummis.
Eia age, rumpe moras, propera generoſa Iuuentus,
Te noua regna manet, tibi Gallogræcia Ponto
Altera debetur, propera generoſa Iuuentus;
Terſa Tagi iuuenes ſulcate volumina, Galli:
Euge, nouis iterum Galatas replete colonis:
Currite ad arctoi glacialia littora ponti:
Soluite Germanis Hiſpani vincula Belgis,
Claráque Vlyſſeo reſcribite nomina portu.

GVIL. SALVSTII
HEBDOMAS SECVNDA
DIEI I. LIBER IIII. SEV ARTIFICIA.

SACRA poli ſoboles, Dea quæ Saturnia nobis
Regna refers: denſum Gallis quæ pulchra ſerenas
Aëra: quæ reuocas ridentia rura: bonorum
O ſpes vna, malos iuſta formidine pulſans.
Virgo bis denis caruit qua Gallus ab annis,
Salue pax ô pax iterumque iterumque beata.
Aſpice ſpumantes vt equos qui calce premebant,
Demiſsiſque haſtis certamina dura parabant,
Te redeunte citi ponunt haſtilia: læto
Vna exultantes amplexu fletibus ora
Iuncta rigant: naues auulſas littore rurſus
Aſpice quæ reuehunt vndis commercia noſtris,
Aſpice purpurea ſplendentem veſte Senatum,
Rurſus & in populo leges, & iura ſerentem:
Omnia lethæis en iurgia noſtra ſub vndis:
Aſpice fulminibus Martis quæ verſa reſurgunt
Mœnia: lætantes variis diſcerne tabernis
Artifices ad opus validos, per pinguia paſſim
Culmina paſtores, ſcindentes rura bubulcos.
Aſpice lætitiæ flammas quæ ſydera verrunt:
Heus audi paruos, magnos, iuuenéſque ſenéſque
Hos è iucundo fundentes pectore cantus.
Hem lætemur Io, laudes & perſonet aër
Æterni totus, qui non quæſita colonis
Dona dedit Francis, quæ Franci dona fugabant,
Dona dedit Francis quæ dona ſimillima ſomno.
Hæc dum iuncta ſimul capimus miracula fidis

Auribus atque oculis,oculoſq́; auréſq́; vteremur
Mendaces. Regem, Dominum, Regemq́; Nauarræ
Communes patriæ vulgata voce parentes
Prædicet iſta dies,nunquam peritura locetur
Illorum memori pulcherrima gloria templo,
Sparſos momento qui reſtinxere tot ignes,
Æternum ſæuo ſpoliarunt fulmine,noſtras
Enſe manus rigido,tempeſtatiſque furentes
Internæ fluctus,motas hinc inde procellas
Sedarunt,gemini claudentes limina Iani.
Rex autem tua facta magis dum carmine docto
Illorúmq́; tuo cum nomine nomen in orbem
Diffundam,decanto nouæ cunabula terræ,
Dulcia præclari quæ do preludia cantus.
Ille velut qui diues opum,qui diues honorum
Magnates inter,iuueniles exigit annos,
Hauſtibus & longis oblectamenta capeſſit
Aulica,mox ludis indulget moxq́; choreis,
Lu ere ſub priuis rigidas ſi regis ob iras
Cogitur emeritos tectis inglorius annos,
Dura vbi pauperies,vbi fumi triſtis amaror
Humores ciet egelidos frigente cerebro;
Quo rapidi ingreſſu cuſtode ad limina nullo
Egreſſúq́; ruunt vario noctéſque Diéſque
Eua Eurus,Caurúſq́; celer,Boreáſq́; Notúſq́;
Et fiſſus paries rimis vbi mille dehiſcens
Obtegitur telis quas duxit aranea multos
In limbos, vbi fronte poteſt laquearia,palmis
Protenſis vtrumq́; poteſt attingere murum,
Impaſtus nulli concedit membra quieti,
Ingemit,horriſono ſuſpirat pectore,cuncta
Odit, & aſsiduis clamoribus acciet Orcum.
Non tamen inſuetus ſorti,miſer ille ſubeſum
Muribus arrodit panem,mellitáq́; vina
Oblitus tandem,colatis vtitur vndis

Maſſa, quam exactè vindemia preſſa reliquit.
Haud ſecùs æternum poſt crimina dira Parentes
Expulſi clauſtris Heden fra grantibus, ora
Tigridis attoniti languent mœrore, veternus
Mentem, nec motos torpor grauis occupat artus.
Aſt vrgens, artes quæ prima inuenit egeſtas,
Quæ redeunte die ſopitas vellicat aures,
Suadet ad ignotos victum ſibi quærere mentes,
Et quæ rura ſecant mucoſas cogit in vndas:
Nulla dat arbor enim quincuncibus inſita pulchris
Innumeras ſparſim fruges: ibi caudice pomus,
Et pyrus exiguo ſurgunt, ac mille per vmbras
Abdita fraxineas, ingentibus abdita ramis
Roboris elanguent: miſerandi cuncta Parentes
Vel minima extremo quærunt alimenta labore
Si prunum cupiunt per centum vulnera ſæpe
Educunt hirta: cupiunt ſi meſpila, magnæ
Coguntur denſas ſyluæ penetrare tenebras.
Puniceo ſi mora volunt tingentia ſucco
Demordente rubi ſpina punguntur acuti,
Atque famen vacua potiùs ſolantur in aluo
Quàm mollis quærant oblectamenta palati,
Inq́; diem viuunt ſolam: poſt prandia cœnæ
Fercula, manè petunt ſapidos in prandia fructus,
Et pomum modò, præda minor modò ſufficit eſcam.
Quos vbi ver florum diues, ſed inutile frugi,
Atque vtriuſque tenax docuit mala frigore bruma,
Caſtaneas, nuces, piſtacia, amigdala ſyluis
Lecta, cauo ſcrobe deponunt. Pro veſtibus oſtro
Perfuſis, rutileúe auri ſubtegmine pictis,
Arte laboratis docta, gemmaq́; retextis:
Sericea pro veſte fuit, pro vellere læui,
Quo diues turget prægnantia viſcera bombyx;
Quos mittit latas protenta cucurbita frondes:
Pallidulam porrò ficum, denſiſque patentem
Frondibus

Frondibus expoliant Platanum, ſparſimque nitentis
Cæſariem Semeles nati ſcindente retondent
Vngue, ligant crines ſpinis, in ſtragula vertunt,
Molliáque aduerſum velant ſibi corpora ſolem.
Reptantem vellunt hederam, quæ caudici amico
Iuncta dat amplexus arctos, & mille figuris
Glandiferæ ludit rugoſo in cortice quercus,
Effingens virides limbos: dein mollia torquent
Brachia, mille ſimul frondoſis textile ramis
Conficiunt nexis tegmen, fingúntque lacernam,
Quæ ventis ſuccuſſa tremit, tremit æmula palis,
Virgineæ volitant quæ circum tempora vittæ.
At dum communes indagat ſedulus eſcas
Membra labore Parens duro defeſſa fatigans,
Dum gibbi montes, ſyluæ, ſpinoſáque rura,
Et ſcabra ſuſcepti ſunt conſcia ſaxa laboris,
Eua vigil varias plauſu quas præpete pennas,
Verſicolor Pauo, pictis quas Pſittacus alis
Galgulus echthrocorax, & roſtro Picus acuto,
Excutiunt, legit, ac tenues incerat: & alba
Conſuit illa iuba, collo quam vulſit equino,
Maiores (ſupplebat enim iuba vellera Seræ,
Cannabis, atque vicem lini dabat) inde colorum,
Diſſimili ſplendore togam contexit, vt almæ
Hæc referat Cybeles pallam, cùm florida blando
Fusè de gremio mittit gemmantia ſerta,
Ac ſimul eſt vernæ ſpecies obiecta diei
Arridétque parémque lubens teſtatur amorem.
Hoc vbi panxit opus, vultum perfundit amœnum
Lætitia, exultat, geſtit, miratur & artem
Mater, & obducto veſtitu membra virili
Alba tegit: celeránſque omni regione viarum,
Venatu occurrit redeunti læta marito.
Oſcula dans (inquit) Mea lumina, vita, ſalúſque,
Accipe charus amor quod do tibi pignus amoris,
Accipe

Accipe flamma prior, túque vltima flamma rogantis
Accipe dona, animæ pars accipe maxima noſtræ,
Accipio, inquit Auus, mea mens, chariſſima coniux
Accipio tua dona, tibi terna oſcula reddo.
Dixerat: induitur, variata in veſte ſuperbit,
Oſtentat, miratur opus, ſparſáſque colores,
Atque artem quæ tot veſtes confudit in vna,
Mox vbi profuſos gelidis conſtringit habenis
Triſtis hyems fluuios, ſolido Neptunia firmat
Arua gelu, vitreóque operit ſata tegmine, ſyluáſque
Obtegit hirſutas canis fœcunda capillis,
Contrahit egelidum corpus, detémque fatigat
Dente pater: dentes crepitant ſtridore ſonoro:
Hiſpidus ille nouo fremit, horret frigore totus,
Inde videns criſpa venientia ouilia pelle
Immunem rigido ducentia frigore vitam,
Eligit inter oues hanc quæ ſupereminet omnes,
Præduro bifidam confringit verbere frontem,
Vda procelloſis impulſam ad littora fortè
Fluctibus inueniens ingentem piſcis ariſtam,
Incidit iugulum, glubit, pellentémque tepentem
Extendit, radit, ſiccat, detruncat in oris,
Quanudæ veſtit conſortis mollia membra:
Deinde ſibi paribus concinnat pellibus, arte
Eximia ſoccos, thoraces, atque galeros.
Antra fuere domus primæ, foſſæq́; ſilentes,
Vlmus & vmbroſo conceſſit caudice tecta
Prima: ſed impatiens anguſtæ ſedis & vdas
Sentit vbi foſſas, antri tolerare rigorem
Haud potis, exquirit fabrilia ligna: comanti
Quattuor in ſylua truncos quater eligit, ipſa
Qui viridem ſeruant ſub bruma frondis honorem,
Inq́; cubi formam ſurgunt: ſic frontibus æquos
Naturam ſeruiſſe putes hos patris in vſus:
Illaqueant ramos, & firmis nexibus arctant.

Arte laborati referunt laquearia tecti,
Quæ pictis doctus folijs ornauit Apelles,
Prima tyrocinij cùm tentamenta dédere,
Prorſus ab aërijs tutari corpora noxis
Mollia conſtituunt: capitellis tigna bifurcis,
Scilicèt excisis ſublimia robora ramis
Inijciunt rapidis quæ mox Aquilonibus, & mox
Pulſa furente Noto, breuibus cum matre ligata
Hærebant fibris, decuſſant ſingula pulchro
Ordine, frondiferis ſternunt glacialia ramis
Tecta, ſtatuminibus firmant, dextraq́; ſagaces
E terra ad ſummi calamos faſtigia tecti
Ordine contiguos tollunt, limoq́; tenaci
Obliniunt: croceos ab ea quæ ſpectat Eoos
Parte locum ſeruant patulum: mox limine cratem
Pangunt, nec tam vi quàm nota vertitur arte,
Duræ cardinibus lambruſcæ nixa retortis.
Igne carent vno: crebris ſed flatibus ecce
Cum moris rapidus lauros contundit opaca
Aeolus in ſylua, crebris conflictibus ignis
Exilit, & partem ſylua populatur: inhorret
Aëre fuſa videns rubra glomeramina flammæ,
Præpes abit, flammáſq; fugit, flammæq́; ſequuntur
Donec teſqua auidos compeſcant nuda furoris
Flammigeri curſus; tunc vultum vertit & ignes
Tranſit ad accenſos truncis, igniq́; propinquus
Vt madidam multo videt imbre ſereſcere veſtem,
Oraq́; purpureo ſaturari murice: ductim
Laxari rigidos reſoluto frigore neruos,
Corripit ambuſtum torrem, qua parte ſequaci
Intactus flamma, lætúſq; & præpete curſu
Tecta Parens petit, inq́; foco fouet algidus ignes
Illator, Gemini donec nouus halitus aſtri
Sydereas reuehat propiore volumine flammas.
Aſt vbi prægelidæ redierunt frigora brumæ

Nocte

Nocte dieq́; ſua queritur ſibi commoda culpa
Hæc periiſſe: ardens omni conamine tentat
Omnia: ſylua nouis nec enim colliſibus illi
Iacturam reparet: ſed forte cacumine rupis
Dum ſtat in aëria ſummo, menteṁq; volutat
Mente aliam, venit ecce oculo ſpumoſa micante
Bellua, vbi videt ille celer dextramq; pedemq́;
Tet fert, terq́; refert, valido vibrat impete ſaxum
Dat fera terga fuge, ſcabrumq́; in monte reſultant
Saxa quatit ſaxum, duris percuſsibus vno
Monime & enaſcens morienſq́; excuditur ignis.
Protinus, impatiens ſociam vocat ille iugalem
Frigore torpentem, declarat gaudia vultu,
Fœlix ſorte noua geſtit, ſilicemq́; coruſcam
Quam læua tenet immota ferit ille, deorſum
Adducto toties quod prenſat marmore dextra
Vt tenues ſpargat ſtricturas vndique flictu
Aëre ſcintillæ volitant, ignemq́; cadentem
Suſcipiunt lauri crines, quos ordine pulchro
Squamatim inſeruit: lapſo quæ carpitur igne
Sicca quod vmbriferi non eſt ea conſcia fumi,
Laurea Phœbeæ fulget frons æmula flammæ.
Tunc prono flectit curuamine fœmina corpus,
Telluri inſiſtit cubitum feſtina, manúq;
Suſtinet expanſa frontem, dulcéſq; cauato
Gutture dat ventos & acuminat oris hiatum
Sedula ſollicitans flammas. E frondibus ignis
In ſtramen reptat, reptatq; à ſtramine ſicco
In ramos, truncos à ramis ignis adurit.
Interea humani generis fœcunda propago
Particulam incultæ telluris ciuibus implet.
Ecce Cain prior, huic germanus naſcitur Abel;
Ille vigil rerum cura fit ſponte bubulcus,
Vpilio hic latis aſſeruat ouilia pratis.
Abel cui cura caſeúſque & copia lactis

Mulcet

Mulcet oues,cogitque ſimul;cuſtode moloſſo
Seruat,duxq; aries ibat per paſcua primus.
At maiora petens alter vix membra quieti
Fortia dat minima:vepribus,denſiſque ſepulta
Piſa,fabas,lentes, orobos,molléſque lupinos,
Et ſeruans tenuem dumis gracileſcere orizam,
Grana aliquot ſumit:ſpinis emundat acutis,
Scrupis,atque rubis vbi caſpite terra feraci
Latior apparet:dat ſemina ſedulus illi
Lecta ſigillatim:ſpem feruidus vnguibus aruo
Contegit abraſo malè certam meſſis opimæ.
Proximáque anguſto ſurgit quæ meſſis in agro,
Scindat,vt expanſos hortatur vomere campos,
Largior alma Ceres det vbi flauentia dona:
Ne repetat crebro molimina prima labore
Incipit intactam blandus mulcere iuuencam,
Duráque vimineis ſuccingit cornua vinclis,
Vincula tergeminis viet orbibus,alligat ingens
Aut cornu,aut dentem pro vomere Rhinocerotis.
Alter iam pecudum diues,iam diues & alter
Fœnore triticeo geminis altaria condunt
Sacra cacuminibus duo:ſacra voce ſupremi
Illic alter opem poſcit,querulóque penetrat
Accentu pius aſtriferi laquearia tecti,
Alter at impuro decantat hypocrita laudes
Ore ſuas,factis,meritiſque ſuperbit inanis.
Graminea ſtantes ripa,libabat honorem
Ille ſui gregis,iſte Deo ſementis aceruum.
Qui Deus humanos renes,atque intima corda,
Et magis inquirit latebras,animique receſſus,
Quàm geſtum,& ficta ludibria frontis,amati
Accipit Abelis placidus pia dona,profani
Reſpuit indignans temeraria munera fratris,
Vltrices ſuperi patitur qui numinis iras:
Mœrorem,triſtéſque agitat ſub pectore luctus,

Concitus

Concitus inſano percellit membra furore,
Et gemit in voces iſtas ſuſpiria rumpens.
Quid miſerande Cain tibi, quid tibi profuit aluum
Prægnantis primæ matris reſeraſſe priori,
Atque Adam, vnde genus tibi, compellaſſe parentis
Nomine? quid membris vegetus vigor ille, virilis
Atque ſagax animus, quid munera tanta miſello,
Si terris, cœlóque tibi præfulget honore
Os habitumq́; viro ſimilis muliercula? magno
Exercere manus noctéſque diéſque labore
Quid iuuat, vt reliquæ conflentur edulia genti?
Arte tua artis opus magnæ, melioris & vſus
Excudiſſe recens aliena incommoda, lucro
Exiguo tibi ceſſurum, ſi truncat honorem
Ille tuum gurdus iuuenis, ſtupidúſque madenti
Nutritus ſudore tuo? Mihi crede iuuencum
Tolle, age tolle, moras nunc omnes rumpe, vocat res,
Te pedibus tanto patieris tempore inultum
Calcari? flammam naſcentem ſtingue, pumillum
Deprime ſurgentem, naturæ iura capeſſe,
Accipe quam meruit palmam, quæ præmia virtus.
Sollicitus cœptum dubia dum mente volutat,
Mox opus aggreditur, mox abnuit: atra coërcet,
Fertq́; refertq́; vices peccati pœna nefandi:
Sed tandem vmbriferæ blando ſermone receſſum
Pellicit in ſyluæ medium, quæ cognita nullis
Alitibus, quæ denſa comis atque integra dumis.
Hîc manibus ſaxum tollit quod tollere noſtro
Tres nequeant homines æuo, intentíſque lacertis
In caput innocuum germani torquet: ab ictu
Concidit exanimis, cœnóque impreſſa remanſit
Informis facies: ſanguíſque è vulnere fuſus
Vltrices ſcelerum compellat numinis iras:
Diſſilit effractum crudelis in ora cerebrum
Carnificis, tantúmque nefas Latous inhorrens

Vertit

Vertit ſumeſis vndantia lora quadrigis
Sanguineis agitat tortorem ſaua flagellis
Tartarea noctis ſoboles: metus, horror, & ardens
Mentis agit morſus, ſceleratum panicus angit
Funera mille ſubit nec funere mergitur vllo.
Splendet vbi formoſa dies ſe ſe occulit antris,
Perq; vagus medias graſſatur nocte tenebras.
Corporis vmbra animum terret, dulcéſque parentes
Effugit, incutiunt audita, & viſa timorem
Omnia, vaſta fuga nec machina ſufficit orbis.
Sed quia progenies illi dat terna nepotes
Pulchros, qui ſobolem ſuſcepta prole propagent,
Et ſub Auo viuente patres dicantur, auiq;
Conſtitit, atque domos molitur in vbere terra
Et ſalubri, & læta quam flumina pulchra coronant.
Pars abiegna citi proſcindunt ligna, ligandis
Pars ſtructura caſas palis incumbit: in orbem
Pars lapides, clauſura focos compingit hiantem
In ſicco ſeruans anglum pro limine muro:
Pars humilis tecti iunctis cum ceſpite muros
Faſcibus effingit; turpi gurguſtia cœno
Et fœno mixtis format pars, qualis hirudo
Nidificat: viridi ſcirpo pars contegit ædem:
Pars vlmi ramis, cereali ſtramine ſummos
Pars iungunt muros, pars molli pelle vel alga.
Perpetua ſceleris tremulus formidine tanti
Supplicio vacuum triſti perquirit aſylum,
Paganáſq; domos vertit feſtinus in vrbem:
Namq; vbi bis geminæ frontis ſulcauit aratro
Mœnia, ſaxa petit congeſta in fluminis ora:
Conterit & ſubigit, ſuffuſa & colluit vnda,
Vertitq; inuertitq; vices per mille lutoſum
Intritum, ſolidis cincturus mœnibus vrbem
Turrigeram ſtatuit portam, populóq; minantem,
Atque armis grauidat cupiens ſtata regna tyrannus.

Cœce animis homicida fur ns,ô Tigris,amictum
Aggeris;anguſto quas tu moliris habenas
In pago,vltrici ſtridentem turbine,iam iam
Menſuramq́; putes auertere poſſe procellam?
Stes licèt ætherei prærupto in vertice montis,
Te triplici vallo vel murus aheneus vmbret,
Accingas orbem veſana in prælia totum,
Thermodoonteo firmes tibi corda metallo,
Atque cutim ferro,meritas-ue euadere pœnas
Poſſe putes , tu cui non eluctabilis horror,
Qui premit oſſa gelu,percurrit frigore venas,
Et tibi mille animo pœnas fabricatur acerbo:
Ecce Cain,tanto tremefactus corda pauore,
Indomito,vt fama eſt,teneras imponit habenas
Primus equo,greſſus vt per campeſtria ducat
Tutior & velox alieno vulnera vitet
Poplite.. Eques inter centum fortéſq; leueſq́;,
Omnibus eximiæ quibus eſt præſtantia formæ,
Lumine dimenſus fido ſibi deligit illum
Vngula cui læuis ſubnigra rotundaq́; & alta
Et caua : ſuffrago breuis eſt,neque recta,nec orbis
Aemula : cui validis,& ſicca eſt tibia neruis:
Cui pes ceruinus;cui carne carentia molli
Genua,patet vaſtum pectus:cluneſq; globoſæ:
Altum cui corpus : latus eſt æquale:gemella
Spina tegit lumbo :ceruix ſinuatur in arcum
Molliter intenſum:dextráq; effuſa recumbit
Parte iuba , & criſpis per collum fluctuat vndis:
Denſa ſolum verrit,truncumq; immergit obeſa
Cauda nate ingentem:rectis micat auribus ardens
Stare loco neſcit:terram pede radit;& oſſe
Aſpero frons,oculiq; ſuo voluuntur in orbe.
Et tumidi & celeres:patulo dat feruidus ore
Albentes ſpumas,& apertis naribus ignes
Eructat,pulchráq; nitent ferrugine crines:

Cui

Cui candore nitens pedibus data zona duobus:
Stella notat frontem: Romanus nititur enſis
Ceruice, atque illi iam ſeptima vertitur æſtas.
Plaudit aduiante dextra, ſaltúque decorus
Scandit equum, ſtat rectus equo, vultúmque volucris
In frontem conterquet equi: tum concitus ira
Terga magiſterio ſubigi, ſalit, erigit aſper
Corpus equus, tenſo pede calcitrat, ignis anhelo
Ore fluit: turbatur eques, gelidóque pauore
Concutitur, qualis claui moderamine fungens
Nauis iners iuuenis; iactatur nauita nati
Iactata: mortem iam tangens, pallet, inhorret,
Egelidum claudit ſuſpenſo in corde timorem,
Audaxque eiurat cœptum, & diſcrimina ponti.
Rurſus eques decorat pallentes murice vultus
Sanguineo, alipedem firmat, ſe colligit ipſum:
Nunc immittit equum molli, nunc præpete paſſu,
Nunc agit in calpam: effuſis modo largus habenis
Concitat in curſus, ridétque in fontibus auſis,
Miratúrque ſedens quòd peruolet æquora curſu.
Proceros agilis contracto poplite paſſus
Explicat, & celeres quos dat Hircania Tigres,
Et Pandioniam curſu inſultante volucrem,
Ruſſia præcipiti, & Cantabria tela peræquat.
Fumea fulmineum, citiore, nec euomit actu
Gutture canna globum, medióſque irrumpit in hoſtes,
Vrbis & obſeſſæ confringit mœnia, laxis
Quàm fugit acer equus frænis, ſtimulóque coactus:
Viribus ille ruit totis; nec ſe ipſe retentet.
Herbida prata quatit, ſata calcat, & impete vaſto
Diſijcit, aſſequitur, præeuntes arripit auras:
Turbine puluereo tegitur, ſubtérque pedum vi
Concutit ardentes ſulcos, minuitque volatu
Arua fugax, fugienſq; oculos caligine campi
Mergitur: at doctus non vult tentare magiſter

Aëris

Aëris equi vires,arctis compeſcit habenis,
Ac triplices ſtantem ſaltus albente bacillo
Edocet:artifici laudat poppyſmate:blandus
Ceruicem dextra palpatur, ſiſtit anhelum:
Mox eadem molli relegit veſtigia paſſu:
Saxa quatit pulſu, tractatq́ lupata ſuperbus:
Hinnitus ardens dat acutos:prælia poſcit;
Calcitrat,audaci ronchos emittit ab ore
Aſper acerba minans;ſpumis iter oblinit albis:
Succuſſat,mordet ſplendentia lora,graduq́
Inſultat,ſinuánſque alterna volumina crurum
Contingit pedibus ventrem,voluitq́ micantes
Igne oculos,greſſus glomerátq́ ſuperbus obliquos:
Horret è tremulis iuba crinibus:vndiq́ fuſa
Sternitur aſpectans gradibus ceſſura corona.
Tunc hortatur eques cloſmo,ſtratóq́ ligatus
Artibus ignotis exercet:ſuſpicit artem
Turba nouam:gyris nunc vertit : ſaltibus illum
Nunc agit : auerſis pedibus nunc torquet:agit mox
In choreæ & nantum ſpeciem:tremuloq́ volantes
Nunc iactare pedes motu per inane,pedéſque
Nectere compoſitis pedibus,ſaltuq́ repando
Euibrare docet docto moderamine corpus.
Corpus eis vnum,mens illis vna videtur:
Cuncta vices ſubeunt pulchras, & cuncta leporem
Nacta ſuum:rara venit hic mirandus ab arte,
Ac leuis ille vſu ſtat,mollia crura reflectit
Greſſibus incedit firmis inflectitur omnes
In partes tenera docilis ceruice,leuiſque
Molitur calpam:vires acquirit eundo
In ſaltus:caput edocta ratione reponit,
Et rapidis rapidas adiungit curſibus alas.
Hæc vbi ſpectarunt alacer renouare laborem
Quiſq́ ſuum properat,notas dimittit in artes
Quiſque animum,canóſque vigil deſudat in annos

Exemplo Tubalis. Tubal hic per inhoſpita denſa
Dum ſectatur apros ſylua loca, dirigit arcu
Tela, pharetrato ſtrenuus quæ ſumpſit ab armo,
Ecce agit in vaſtos ferri torrentia campos
Mons ardens, nouitate rei perculſus inhorret,
Huc citus accurrit, rem voluit, mente reuoluit,
Vidit vt accenſum venator ab igne metallum
Quaſlibet in formas effingi ductile: rurſus
Frigore ſic rigido dureſcere, acuminis ora
Vt ſoluat tandem textura corpora ſolda,
Ardua mille parat, rudibúſque extundere palmis
Occipit eximias varij moliminis artes.
Per loca ſola canis ceu qui comitatus herilem
Inceſſum ſe preſſa recens veſtigia fortè
Sagiit amoti leporis, feſtinat odoras
Veſtigare vias: currit, decurrit, eandem
Itque reditq; viam: crebris latratibus implet
Aera: porrectis ſpirantes naribus auras
Captat, & innumeris metitur curſibus arua:
Nec mora, nec requies: naréſque auréſque, pedéſque.
Exercétque oculos, donec quæſita cubilis
Præda latebroſi recubans inuenta ſub vmbris.
Nam ſibi mille modos operum, ſibi mille figuras.
Effingens animo, quas nec longæua vetuſtas
Deletura, duos affuſi ſedulus amnes
Deducit chalybis geminas, ſed diſpare quadro
In foſſas: ſpumis vbi refrixere reuellit
Purgatis: alter tudes fuit, alter & incus,
Hæc duo coniungit rigido mordentibus hamo
Organa forcipibus, tectóque reponit in vſum.
Conficit impages, canthos, duráſque ſecures:
Cardinis in formam durique ligonis, & vnci
Vomeris incenſum vertit ſubigitque metallum:
Doctior euadens in concaua vaſa lacunat,
In cochleas torquet: lamnámque incude iacentem
Plangit:

Plangit: Dædaleam ſinuoſo vortice flectit,
Deinde feram: ſerræ dentes, dat acumina limæ,
Atque in forficulas ferrum fornacibus aptat.
Fœlix inuentum! Non terra, nec vnda, nec aër,
Flamma nec vtilior ferrò: Nam marmora ferrum,
Lignáque proſcindit fabro, terráſque bubulco:
Corporibus veſtes, atque arma parantur in hoſtem,
Lora parantur equis ferro, ferróque renidet
Aurum: dat pedibus ſulcare volumina ſiccis
Æquorea, & ferro ferrum domitatur ab ipſo:
Artifici dextram dextra das, organa formis
Ornas cuncta ſuis, quintum humanis elementum.
Dum Cyclopæi circumſtant vndique ſerui,
Et madidus toto prorumpit corpore ſudor,
Dum validos Steropes, & nudos membra fatigat
Brontes, & rutilum reſonans ſub tudibus acer
Vrget opus, Iubalis non otia tarda morantur
Ingenium: varijs reſonantes, ictibus, icta
In numerum, numeros tenero quos nouit ab ortu,
Vt fama eſt, reuocant incudes; omnia tractat,
Hic amor, hoc ſtudium concordia metra ligare
Concordi rurſus rythmo: cupit organa rythmis,
Optat & harmonicos dulci modulamine rurſus
Cyclopum numeros imitari, margine quando
Torpentis ſtagni teſtudo occurrit aperta,
Cuius conuexa tenues in parte ligati
Tres nerui ſuperant rigidi, ſiccíque cauata,
Et iam tardigrado dudum viduata colono
Tecta capit, digitis pulſat, præbétque canoris
Fratribus attentas aures, & dulcè ſonantem
Conſtruit argutæ citharam ſub imagine teſtæ,
Qua monet in choreas montes, qua ſydera ſiſtit,
Aures dat ſyluis auidas, cicurátque leones,
Compeſcítque notos, nubéſque hyemémq; ſerenat.
Artibus adijciens artes coniungere vocis

Dulcia carminibus neruorum carmina gaudet:
Dat varios cithara modulos, dat guttura mille
Organa multa nouis molitur texta figuris.
Denique frondentes ſyluæ, cameratáq; ſaxa
Ac ſtrepitu fontes querulo, riuiq; loquaces,
Et reſona valles, genialia nablia tantùm,
Vel reſonant vtres, lyrici vel carmina plectri.
Aſt alios alio natos in culmina cliuo
Virtutis quo rara ferunt veſtigia pauci,
Ducit, & ante omnes Seth amatum, munera ſacra,
Atque vices fratris ſubeuntem funere merſi
Abelis, charúmque rudem, ſeniíque futuri
Spem ſobolíſque decus. Quo cultu numen adoret,
Qui debetur amor natis, pietáſq; parenti:
Quod conſanguineis ſtudium, natalia quali
Arua tuenda modo, docet: vt ſubmittet egenis
Auxilium, cœli motus, curſumq; perennem
Qui ſecat in menſes annum, menſemq; diebus
Diuidit, ignauæ prænuncia ſydera brumæ
Edocet, & ſitiens nobis referentia cœlum:
Aſtra ſerena docet, pluuios generantia nimbos.
Aſtra; ſalutiferas, & cœca peſte nocentes
Plantas, innocua, & nocitura animalia narrat.
Talia vix orſus, quando præcepta Parentis
Condita mente videt, præceptáq; diſcit ab vno
Omnia Seth: verbis perfectam colligit artem
Ex primis, auidúſque ardet cognoſcere plura
Plura ſciens: igni ſimilis quo copia maior
Eſt alimentorum fit flamma voracior ille.
Poſtea dum criſpi ſpatiantur margine riui,
Sic ait. O venerande parens, ni cognitus ille
Ille mihi tuus eſſet amor, tibi iugiter vrens
Pectus amor: rerum ignaras ni plangeret aures
Noctes, atque dies tua vox, vox docta, moleſti
Atque importuni nomen, crimenq; vererer.

Suppeteret didiciſſe mihi quo vertitur axis
Ordine,flammiferis claudens laquearibus orbem:
Corpora pigra gelu,rutiliſq; vrentia tædis
Corpora, quæ ſacros condat mihi regula mores:
Sed tua ſollicitam ſcitandi gratia curam,
Datq; animum,quales diuina ſequentibus annis
Fata parent vultus,& quæ fœlicior orbem
Fœcundo ſoboles replebit ſanguine totum:
Quæ data ſors mundo,mundo quis terminus æui:
Qui faſces populos, flectet quæ purpura regum.
Nate (parens inquit) ſpectat præſentia tantùm
Et res præteritas,mens noſtra ignara futuri,
Ni legat inſcriptum diuina fronte Tonantis.
Ergo ſumme Deus,tacitis abſcondita fatis
Omnia cui parent:ô quem præſaga polorum
Sydera nulla docent:quem non rationis egenæ
Coniectura leuis,pecudum non exta,volatus
Non auium vel puncta ſimul collecta:ſed omnes
Qui euentus animo,& præſagia certa recondis
Quippe Deus,mens ſumma,parens,vatéſq; futuri,
Trina videns vno fugientia tempora lapſu,
Et cui momento æternum contractius æuum,
In me oculos conuerte,Deus conuerte,videbo
Fatidicæ ſpeculum frontis. Tu pulcher Apollo
Huc age,tu noſtræ radios immitte Diana,
Luminis eclipſim tellus patiatur opacam
Orba mei,cœliq; meum iubar abdite veſtro
In gremio,pingui me corporis exime vinclo,
Ante obitum cœlis fœlicem ducere vitam
Da Deus,ô noſtræ mentem lux viuida vitæ
Sublima in tempus,da ſim reſonabilis Echo
Diuinæ vocis,da nunc tua verba reportem.
Confeſtim arcano ſuccenſus membra furore,
Non qualis celebrans repetita triennia Bacche,
Non qualis toruo Cybeles flammata ſacerdos

Aſpectu torquet qui lumina, corda fatigat,
Ictibus os rabidum domitat, nec vulnera ſentit,
Non conculcantem cognoſcit dæmona demens:
Bacchatur, ſaltat, ſpumáſque eructat ab ore,
Horrens terribili vultu, clamoribus horrens,
Et tremulo titubat greſſu, pallétque rubétque.
At velut altiuolans Iouis ales, ſede relicta
Remigio liquidum qui verberat aëra penna,
Nubila ſub pedibus ſtagnantia deſpicit audax,
Aſpicit ignitum Phœbææ lampadis orbem
Obtutu immoto: ſic Ada ardentibus alis
Cœleſtis ſtudij vectus, mortalia linquit:
Surgit in igniferos orbes, iam veſcitur aura
Æetherea, diuina oculos in fronte coërcet:
Ore refert rutilo ſplendentis Apollinis ora,
Et nitidum aſſurgit telluri corpus in vlnam.
Tum ſic affatur. Neptunia rura, lacunar
Sydereum alternis vbi Sol, & Luna recurrunt
Excubiis, quas ſummi æterna potentia Regis
Obſeruare vices iuſſit: gemmata caduco
Terra domos homini præſtans: & mobilis aër,
Quo fera ventorum rabies certamina miſcet,
Funeſto Boreas, atque Auſter marte duellum
Exercent, & humi proſternunt ligna ſuperbi
Plurima, quæ mediis ſiſtebant prælia ramis,
Condita bis ternis hæc ſolibus omnia: ſacram
Septima in Æterni lux aſſeruata quietem.
Sic caua cœruleo mundi cortyna colore,
Atque auro conſperſa: aërque, ſolúmque, ſalúmque
Per ſenos manſura dies: ſed meta diebus
Par erit haud metis, repetito vortice velox
Ter ſolet octonis quas ſol contingere in horis:
Illa magis fuſo peragetur temporis orbe.
A me principium primis: dat nauta ſecundo,
Seuit pampineas primus qui collibus vuas,

Auro

Auroram: dabitúrque ſequens, externa vocantem
Quando Deum paſtor Chaldeus in arua ſequetur,
Atque ſacris fidam concedens vocibus aurem,
Contempto natum carnis mactabit amore:
Quarta dies aderit, tum cùm generoſus ouile
Aſeruans alter paſtor, fundáque ſonorum
Proiectans ſaxum, regni moderamine victor
Fungetur, poſitóque pedo veneranda capeſſet
Sceptra potens, Cantor magnus, magnúſque poëta
Rex magnus, vatéſque. Sequens à nocte cruenta
Incipit, horrendæ qua Rex data corpora cladi
Natorum videt, & pingues Euphratis ad vndas
Hebræam duci per vincla hoſtilia gentem
Sexta ſalutiferi radiis ſplendeſcit Ieſu,
Qui vulſus, riſus, ſuſpenſus, cæſus, adactus
Exanguem in tumulum ſoluit ſine crimine crimen
Humanum, Veniet tandem poſtrema quietis
Expectata dies: ſtagnabunt æquoris vndæ,
Siſtentur cœli curſus, ſua lumina Phœbus
Exuet, ac vaſtè taciturna ſilentia muto
Aëre regnabunt, cenſu viduabitur vber
Terra, quies nobis dabitur ſperata quietum,
Ducemúſque polo vitam ſine fine beatam.
Heu! quid vicina ſperem de ſtirpe futuris
Ignibus, ardebit quibus impia machina mundi?
Heu! quid de natis ſperem quibus vna voluptas
Lex erit, ignoto qui viuent méque Deóque?
Inſanit meatrogenies, quæ luminis oras
Attigit in ſacro genialis limine clauſtri,
Cui reſonans cœleſtis adhuc euerberat aures
Iudicium vltoris: teſtiſque vocata recenti
Exilio, iuſtas iterum ſuccendit in iras.
Heu! nec in Androgyno pectus crudele, profanum
Pectus, tergeminam connectere ſufficit vno
Naturam & thalamos ſtupro temeraſſe pudicos.

O Lamech, ni tu ſceleratum ſanguine auito
Tinxiſſes gladium, quem non mandata ſupremi
Regis, in infernas cui ſumma potentia ſedes
Non tenuit frontis maculoſum ſtigma notata.
Eia age, diue Enos, vexilla iacentia rurſus
Erige caleſtis fidei, prece numen amica,
Infice purpurea diuina altaria cades
Thuris odore, Dei nares perfunde: tenebras
Diſcute, veridicam lucem qua noctis opaca
Inuoluunt vmbris. En fidus gloria mundi
Auditor tuus ille Henoc, quem viuere ſoli
Aeterno iuuat, atque mori ſibi, lumina firma
En tibi in Aeterna ſiſtentem lumine tada.
En tibi corporeis exutum legibus Henoc,
En tibi, qui vehitur pia per ieiunia, perq́;
Vota fidémq; leuis tenues ſuper atheris auras.
En tibi corporea clauſum compagine, clauſum
Aeris hoſpitio noſtri, qui poſſidet, audit
Omnia, diuino certis videt omnia vultu
Momentis, ſenſim cœleſtis in ora beatus
Numinis ad tempus migrat. Pulcherrimus ecce
Illius ingenti deflagrat amore, decoram
Eius in aternum formam ſibi vendicat auum
Et dat in athereos charo conſcendere honores.
Ergo nate Deum petis, ô mihi chare valeto
O Henoc dilecte vale, mi nate valeto.
Viue polo foelix. Iam nunc ſis ſpiritus & iam
Induis Angelicam frontem: immortalis amictu
Natura induitur corpus: mortale fugatur
Quicquid ineſt oculis, oculi noua ſydera cœo
Effulgent: iam tu dulci cum nectare mixta
Veſceris ambroſia: aternos requieſcis in annos
Conſpicis Aeternam terſa caligine fronten
Qua fuerat menti: Trino per foedera ſacra
Iungeris, & nuſquam finito pabula ſumis.

Proh

Proh dolor! interea terris nouus accola cœli
Peſtiferam linquis gentem, quam viuere rapto,
Artibus vnanimes in prælia vertere fratres,
Et veneri indulgere iuuat: cui venter abyſſus.
Heu nunquam præuiſa! ſacrum genus inclyta proles,
Quam Deus elegit ſobolem, quam gratia Chriſti
Aduocat, heu! ſcelerata nefas procumbit in omne,
Sanior ingeniis ſoboles ſelecta, profanis
Mixta thoris: Seth mixta Cain cum ſtirpe, pudici
Progenies: heu! forma fugax præfertur honeſtis
Moribus. Impurum, quod rapto & ſanguine viuit
His genus emerſit thalamis fera turba Gigantum,
Audax, crudelis, totum quæ polluit orbem,
Atque furens homines funeſto marte ſubegit.
Tum Deus vltrices nimium iam ſerus in iras
Vt videt indomitos homines ſæuire, nefandis
Indulgere malis tardo ſub iudice; Nunc nunc
Perdenda eſt, inquit, generis damnoſa propago
Humani, & mortale genus quod in aëre pennas
Explicat, & pulchra quæ ſtant animalia terra.
Ecce manu dextra pendentia nubila cœlo
Impulit, imber aquæ denſus ruit æthere toto,
Mille ferens vindex in ſæcla rebellia pontos:
Et læua grauidæ preſſit penetralia terræ:
Tum latè, fœta quas dudum condidit aluo,
Terra refundit aquas, rupes occluſa relaxant
Ora cita, pellunt in apertos flumina campos,
Montibus egelidæ voluuntur in æquora ningues.
Iámque abies, cedruſq; eiectant brachia tantùm,
Margine ſummiſſa properantia flumina turgent.
Heu mihi, quod perenne vndoſo in gurgite nati,
Iam tegit ignaros nandi, iam comprimit vnda.
Nec mihi progenies iam nunc foret vlla ſuperſtes,
Ni fugiens fluctus, in ſumma, cacumina, ſummos
Reperet in montes ſuperans robuſta propago.

Hei mihi! iam liquidis montes minuuntur ab vndis
Vnda tegit terras: heu! quò properatis: in omnes,
O nati, Deus omnipotens veſtigia, partes
Iratus ſequitur: deuaſtant flumina terras,
Flumina mixta mari cinguntur littore ab vno,
Littus eis cœlum quod nubila denſa tenebrant,
Quodq́; nouos parat Oceanos, noua flumina terris.
O ſine prole pater! pater ô miſerande! feraces
O nimium renes! ô perdita & impia proles!
O nunquam præuiſe mihi, nunc cognite gurges!
O tetrum mundi exitum, nunc naufragus orbis!
O maria! ô cœli! ô tellus, nunc obruta tellus!
O caro! ſanguis! Ad hæc mœſtis vox faucibus hæret.
Pallenti mœror moribundos incutit artus,
Et quæ venturi fuerat præſaga fugit mens.

GVIL. SALVSTII

HEBDOMAS SECVNDA

DIEI II. LIBER I. SEV

ARCA.

SI non pro veſtro vos ô pia carmina more
Sponte meo fluitis calamo: ſi tempora Laurus
Antè premens viridi ramo, nunc frondis honorem
Flaccida deponit: bifido ſi vertice montis,
Quo procul vranie, procul hoc Acherontis Auerno
Veſtra ſedet, toto mea corpore muſa ruinam
Lapſa dat ingentem, noſtri mala tempora ſecli,
Natorum curas, morboſáque membra vieto,
Tutelas, litéſque meas, noua tædia, damna
Orta recens culpate, nouos culpate dolores.

Hæc heliconiades nuper ſuprema volatu
Emenſas valido conculcant pondere curas.
Hæ ſpinæ, iſta rigens grando, quæ florida mentis
Germina diuino ſe ſe trudentia pulſu
Extingunt, oro tu me Deus exime tantis
Obijcibus, mihi dexter ades. Deus indue muſam
Aurato, & veterem forma ſuperante cothurno,
Redde fidem flammis viduam: compeſce furorem:
Pectore placato noſtris Deus annue cœptis.
Denſus hyperboreis Aquilo cùm fertur ab oris
Vicinæ reboant ſyluæ, crepitántque ſonoro
Auulſæ ſtrepitu: rhiphæo turbine campos
Perflat, & iratus crebro ſtridore volutat
Saxa, micant rigidis colliſibus icta, furorem
Ille via tandem mulcet, diffuſus inani
Amittit ſpacio vires ſparſimq́; volatu.
Excutit aſsiduo pennas, curſuque fatiſcit.
O Deus abſimili muſam da pergere curſu,
Da mea flumineas imitentur carmina lymphas,
Quas ſenſim ſterili rupes profundit ab aluo;
Naſcentes tenui voluuntur in æquora fluxu,
Sed mage quò diſtant ab origine ſalſa petentes
Veliuolæ Thetios vada, curſu viribus auctæ
Turgeſcúntque magis, ſpumántque, ſtrepúntque viáq́;
Oppoſitas rabido collidunt gurgite moles,
Atque audent vaſto tumidæ concurrere ponto.
Fatidico ſermone Parens haud vana locutus,
Vltores, hominum pertæſi crimina, cœli
Tandem demiſsis ſubmergunt omnia nimbis;
Haud vnquam picta tranaſſent aëra penna,
Aut eſſent viſæ volucres aſſurgere in auras.
Quin hominum genus omne foret mortale peremptum,
Et fruſtrà gremio pepuliſſet læta feraci
Tot fructus ſapidos, plantas, & ſemina tellus,
Ni doctu: vaſta ſtruxiſſet mole lacunam

Lamechides, qua bina ſacris animalia capſis
Omni de ſpecie ſpecies genitura recepit.
At dum ſupremos montes ſupereminet, vndis
Vecta ratis, claudens totius ſemina mundi,
Non vario luſu, non fallit tempus inani
Sermonum Serie Noas: at ſicut in æſtu,
Quo torrens vrit ſitientes Sirius agros,
Effuſæ gelidis pluuiales nubibus vndæ,
Educunt Glebis, herbáſque & florea dona
Cœlorum, atque Afri maciata vrigine venti,
Gratia mellito ſtillans è gutture, vocis
Eloquium, ſobolis demulcet tædia, curas
Eximit, & tepidis emundat fletibus ora,
Erigit abiectam ſpem, delet corde dolores.
Eia agite, ô nati, quos, iuſta accenſus ab ira,
Oceanos madidis diffuderat vndiq; terris,
Iam reuocat Deus: ira breuis pontúmque, polúmque,
Aeriáſque plagas in nos verſura, ſed inſtat
Clementis fauor Æterni qui turbida ponto
Compeſcet vada, nimboſo fera nubila cœlo
Diſcutiet, liquido placabit in aëre ventos:
Ira, fauórque vices alternant, fulguris inſtar
Emicat ira Dei, nulla quod ſiſtere lumen
Sede poteſt, placidíſque pium fauor obtegit alis
Per ſeriem ſine fine genus, nec meta fauorem
Vlla coërcet: ei facilè eſt placabilis ira:
Prole, bonis, animis, interdum corpore plectit:
At citus in medias protrudit verbera flammas:
Nos miti digito, rigida nec percutit vlna,
Nec quoties tonat ille polo ſua fulmina vibrat,
Prudénſque œconomus dat iuſta fidelibus ira
Vina bibenda, malis craſſa dat pocula fæcis.
Sic pius ille Parens, orbi genus vnde ſecundo,
Ore docet variè miſſas à numine ſortes.
Cœca ſed impuro Cam germina corde profanus
Impia

Impietatis alens, diuina pellere ſummum
Sede parans numen, cultúſq; capeſſere ſacros,
Et dæmon Libycis optans inſanus arenis
Sub Iouis eximium ſtatui ſibi nomine templum,
Indignabundus, caperata fronte, ſeuero
Accentu, tali eſt affatus voce parentem.
Heu! quid ſeruili pulſas formidine pectus?
Obſtupeo referens: tenuis ludibria mentis
Inſinuas animo: pater, heu! quid iudicis iras
Semper inhorrebis ficti? cenſoris inanem
Quid metuis mulctam, ſtatera qui ponderet æqua,
Sermonéſque tuos, & muta ſilentia: crines
Dinumeret? vafro ne putes cuſtode teneri
Corda, vigil qui mœſta notet ſuſpiria, mentes
Exploret, commiſſa recens peccata vetuſtis
Iungat, & horrendus tortor crudelibus armis
Crimine polluto capiti ſine fine minetur.
Heu nec inepta vides flagranti in pectore vota
Hæreticas finxiſſe tuo iam mille cerebro
Errorum facies? Extrema annectere cogit
Impia credulitas extremis. En tibi numen
Mille procelloſis iactatum fluctibus, æſtu
Concuſſum vario, ſæuis quod ſæuius vrſis,
Et quod fœminea ſit mollius indole fingis.
Qui mollis lachrymas aliena per ora volutas
Aſpicit & lachrymis indulget: caſibus actos
Deflet: purpureo ſalientem ſanguine venam
Fortè videns animo vel linguitur, ille virili
Fœmineum ſegnis claudit ſub pectore viſcus,
Sicut & indomitas tumidus qui ſemper in iras
Exardet rationis inops diſcrimine nullo,
Atque furens animis muſſat minitantia verba,
Fronte ſub humana claudit fera corda leonis
Mox tamen in mœſtos fletus erumpere veſtrum
Vis Regem, ſi quando leuis dolor occupat artus,

Et

Et mox iratum moliri fulmina cœlo,
Mergere, prædari, mactare, cremare, necare.
Dirus aper ſylua tantùm graſſatur in vna,
Ac certos terræ tractus, & certa tyrannus
Regna quatit, Deus ille tamen furibundus, & ira
Percitus, imperio quem frænat, diruit orbem.
Egregium verò cultorem iuris iniquo
Crimine ab vnius rigidas accenſus in iras,
Alteriúſue ferox pœnas expoſcit in omnes,
Qui ferit innocua vindex animalia vita.
O pater alme, Deo non eſt mutabile pectus,
Non variis demens agitur demorſus ab œſtris,
Non furit iratus, dubio nec fluctuat æſtu,
Nec mundi leges, nec mundum deſtruit vltor:
Tot ſuſpenſa cauo nigrantia nubila cœlo,
Tot picea craſſi ſtantes caligine fumi,
Tot freta nimboſum congeſta per aëra, tandem
Nunc glomerata, ſuo ceciderunt pondere prona
Protinus in terram: quin cœcis ductibus aër,
Occultis poſtquam dudum latitauit in antris,
In vitream gelido denſatus frigore lympham,
Montibus erumpens nuper, ſaliénſq; cauernis,
Haud tantùm tumidis Cerealia fluctibus arua;
Illa ſed irato paucis merſere diebus
Agmine, frondiferas per ſumma cacumina pinus.
Tum iuſto pater exardet pia corda dolore,
Dat gemitus, & longa trahens ſuſpiria ab imo
Pectore ſic fatur. Cham proles deuia, prolis
Dedecus, & ſenij dolor anxius, heu! tibi demens
Magna tui, tenuíſq; ſacri fiducia verbi,
Peruertit mentes, & fraude illuſit inani,
Ac vereor (da ſumme Deus ſententia fallat)
Ne pater Altitonans iaculetur fulmina cœlo
Eliſura caput, ne iuſſit dira furoris
Verbera ſuſtineas, & ſordida prædicet olim

Quæ te vita manet, quod reſpuis ore profano.
Hoc ſcio, reddo Deo grates, laudéſq;, per omnem
Perfecti centrum circli diffundier orbem,
Hoc ſcio quòd ſolus qui ſtat non tunditur vllis
Æſtibus inſanæ mentis: ſed voluere cuncta
Immotum, & ſolo cœlos euertere nutu
Et rurſum rutili laquearia fingere tecti
Poſſe ſcio, ſolióque Deum ius dicere ab alto,
Procincto flammis, aditúque carente, nec vllo
Comprendi circlo circlum quem nulla coërcet
Meta ſcio, mihi crede ſcio ſtellantia Regis
Cœlicolæ rutilis ſtiparier ora Cherubin,
Ac ſanctum, magnum, rerum, cui ſumma poteſtas
Auerſum, & ſtrictim cerni modò, mira relinquat
Qui ſpectanda ſui nobis veſtigia greſſus,
Cuius grandiſonum non eſt effabile nomen,
Cuius vaſta nequit claudi ſubſtantia mente:
Hinc fit vt improprio compellant nomine numen
Omnipotens, qui regna habitant terrena coloni.
Si tu magnanimum dicis, tenuiſsima laus eſt:
Si fauſtam mentem, cœleſtum mentibus æquas:
Si magnum magnis maiorem, eſt corporis expers:
Si pulchrum, ſanctum, clementem, quale recuſat:
Nam non diuina ſe contingentia ſiſtunt
Natura, perfecta Deus ſubſtantia totus.
Sic notat ignotum, quod mentis acumine tangi
Obiectum nequeat titubanti nomine lingua,
Quoq; Dei maiore premat formidine, fraudum
Conſcia corda: Deus, iris Deus æſtuat, inquit,
Aemulus, & clemens, quem facti pœnitet: aptis
Nominibus ſpoliata, Deum depingere ad inſtar
Cogitur inſtabilis natura, neſcia tanti.
Humano de more tamen non criminis, ac non
Si piget, inſcitiæ reus eſt. Non ira furentem
Efficit, aut clemens miſerum miſeratio, nulla
Æſtuat

Aeſtuat inuidia licèt æmulus ille,quietam
Mente ſerenata naturam poſſidet,acri
Iudicio peragit conſtans quæcunque volucri
Humanum genus arte gerit præcépſq;celerq́;.
Quid?ſiccis oculis,conſtanti corde,nec vſquam
Mutato medicus vultu languentis amici
Explorat morbos,pulſum contrectat,iniquas
Corpore depellit labes,redditq́; ſaluti
Nec Deus,æternum ſimilis ſibi,cernet ab axe
Syderea miſeros homines immotus,& expers
Mœroris,duroq́; carens ſub corde dolore,
Nec niſi languores elanguidus eximet ægris?
Supplicio rigidus iudex dum mulctat acerbo
Mœchum,qui thalamos auſus violare pudicos,
Ignitas prudens nunquam deſcendit in iras
Crimine qui ſolo nec figat lumina ſonte.
Nec voti compos manicis & compede vinctus
Humano geret arbitrio Deus omnia,morum
Sumet ab humanis normam?Deus ergo profanum
Prædonémq; niſi furiali percitus igne
Plectere non poterit ferali morte, Deóq;
Crimen erit,pietas humanis dicere iura?
Nec vitium horrebit rabie ni ſæuiat idem?
Immotus Pater vltrices non tranſit in iras,
Vitet vt inſultus hominum,aut tutetur acerbis
Perſonam damnis,qua cingitur vndique muro
Indomito,cœloq́; ſedens intacta ſagittis
Viuit ab humanis:at dum frænare ſuperbum
Inſtituit genus, & leges fulcire ſeueras,
Mendoſoſque hominum rigidus componere mores,
Et ſtabili cupit inſontes includere vallo.
Haud Deus exceſſit metas,cum merſit in vndis
Sacrilegas recto flexas de tramite gentes.
Namque Ada bifidus protendens brachia caudex
Bina Cain & Seth,quorum dedit illud amaros

Atque

Atque feros fructus, hoc dulci nectare fruges
Exhibuit ſapidas, nullo diſcrimine tandem
Illis infixum calamis ſylueſtribus, illo
Edidit inceſtu fœturam, & germina tali
Digna ſatu. Quid erat tota tellure ſuperſtes,
Et pulchræ pietatis amans, rectiq́;, boniq́ue?
Progenies ſcelerata Cain retinebat vt hæres,
Altera vt in dotem, vinclo ſociata iugali
Peccatum ſibi per thalamos, tædaſq́; parabat
Per vetitas, vt ſæua animos contagia ſacros
Fœderis admiſsi turparint crimine mixto,
Et nos, nos inquam, nos heu! quibus vnda pepercit
Conſcia corda mali, gerimúſq; in pectore teſtes
Mille, Deo parili qui crimina noſtra recludant
Voce; refellendi nobis data nulla poteſtas;
Vt conſanguineos admittere cogimur omnes.
Haud Deus immani commiſit digna tyranno,
Quando per aërios ſuſpenſa animalia tractus,
Atque feras paſsim ſtantes tellure ſub vndis
Occulit affuſis, vaſtaq́; voragine merſit:
Nam cum ſæua hominum genus inclementia lethi
Stinxiſſet, ſtinctura tuem, ſcelerumq́; corda,
Quid pecudum laſciua cohors, quid picta propago
Alituum extincto ſuperet viduata magiſtro?
Amiſſo rectore annos traxiſſet inanes,
Non ſibi nata ſacros hominis viuentis in vſus.
Quæ teneris liquidas ſorbent pulmonibus auras
Imperijs, vnáq; hominum ditione tenentur
Corpus ab auulſo vitalia viſcera membro
Turgida ſpiritibus recauo ſub pectore claudit:
Sed vitam ponunt crudeli in vulnere membra
Principè trunca ſuo, & mortali frigore torpent.
Cùm ſtagnante Deus merſit ſub pondere terras
Haud fuit immitis: nam cùm fera bella tot annos
More Giganteo, ſupero cum Rege ſuperbi

Geſ

Geſſiſſent homines, num perfida noxa clientum
Dirui ab extremis inſontia fundamentis
Tecta, ſalis ſparſim conſterni diruta grumis,
Digna fuit? mœſtíſque diu deflenda ruinis
Vindicta cœleſtis adhuc monimenta relinqui,
Quæ tot in omni param diffudit flumina terram,
Non ſimul innoxæ ſpiſſo glomeramine lymphæ,
Aëra per vaſtum, vel quæ tellure iacerent?
Si geminis ſuſpenſa polis caua nubila, denſo
Aëre, & humenti latè turgentia lympha,
Aeolidum furijs cœli ferrentur in anglum,
Diluuio (nec vana fides) ſuccumberet ille
Tractus: at arctoum mox hæc impulſa ſub orbem
Cymba, ſub Auſtrali mox æquora ſydere ſulcans,
Atque aliena vago percurrens climata curſu,
Tot freta teſtatur terram fluxiſſe per omnem.
At ſi deuictus, tacitis latebroſa cauernis
Antra petis, rupéſque cauas, cæcóſque receſſus,
E quibus egelidas aër denſatus in vndas
In freta concurrat: ſpeluncas, ſaxa, latebras
Oro doce, quibus hæc moles, quibus iſta queat vis
Aëris includi qui in denſa volumina verſus
Vndarum, colles, & anhela cacumina mergat:
Námque aër quem vaſta ſinu complexa lacuna,
Vix liquida calycem mutatus adimpleat vnda.
Quæro iterum quid in excluſi ſit ſede futurum
Aëris, in crebros abeat qui mole minuta
Fonticulos, totus cùm det nihil orbis inane?
Vnde ergo tanti veſana licentia, dices
Diluuij, ſyluas Rhiphæo in monte ſonantes
Vaſtantis, Lybaníque cedros populantis, & ignes
Stinguere ſydereos, faculas, atque aſtra parantis?
Dic age Cham, quæro, cur Pantheræq; Lupique
Sanguineas dudum frænantes pectoris iras,
Horrentéſque metu nemoroſa ſilentia triſti,

Liquè

Liquêre, & cœlis ad me venêre vocati,
Qui tot bruta tenens animalia carcere noſtro
Vincta rego, & veteres quibus eſt expulſus honores
Primæuus pater aſſumo, priſcáque parentum
Sorte fruor. Quæro rurſus, qui turba volantum
Alituum nullo venit vocitante, mihique
Sponte paret? vel qui paruus ſementis aceruus.
Exiguæq; dapes, & aquai pocula dulcis
Sufficiunt alimenta feris quas vaſta recondit
Arca, nec hîc perdix prædantem garrula miluum,
Nec lepus hîc volucer maculoſæ Tigridis horret
Vulnera? vel rapidis toties agitata procellis
Libera naufragio ſupereſt mihi nauis, & aër
Clauſus, & hic variæ faces, tot ſtercora molis
Arboreæ, capſas fœtore replentia putri,
Nondum vitales temerarunt pectoris auras?
Nec niſi in æquoreo nobis eſt vita ſepulchro?
Non tot habet clauos, non tot tabulata, nec axes,
Quot portenta capit, quot habet miracula nauis:
Hîc ſtupidæ mentes, hærent ſtupefactáque corda:
Hîc animus varia turbatur imagine rerum;
Nec minùs ætherei veneranda potentia Regis
Quæ nunc reſtituit, quàm quæ dedit ordia mundo.
Oro tuum Nauclere ſacer compeſce furorem,
Da noſtram placido nauem ſuccedere portu:
Exue tellurim lymphis, vaga flumina in alueum
Mitte, tuum ſemper nunc & poſt fata fauorem
Da nobis, alios irato numine pulſa.
His placidus mollit Noas caua vincula dictis,
Tædia demulcet, ſegni labentia motu
Tempora decurtat, Deus illi ſola ſalutis
Spes: Deus adſtringit venas quibus vnda perenni
Viuida manabat fluxu, nimboſq; coërcet,
Horrentemq; fretis nigrantibus increpat vltrò
Aëra, & Aeolios inclamat voce miniſtros.

O vos

O vos telluris reſonantia flabra, polorum
Flamina, & hoſtili frondentes turbine ſyluas
Quæ petitis; vos ô lictores, nuntia turba,
Curſores, neruiq́; mei, mea brachia, fratres
Alipedes volucri mea plauſtra per aëra curſu
Qui vehitis, quando fumoſa volumina flammæ
Ore vomo, atque graues exhalo ſulphuris auras
Regaliſq; vices præſtant mihi fulmina ſceptri,
Ac picea noctis caligine frigidus horror,
Et pauor, atque fragor pulſant formidine corda:
Eia agite, & tacitis celeres erumpite ab antris,
Halitibuſq́; vndam ſiccis ſorbete, iacentes
Quæ campos, & quæ montoſa cacumina velat.
Ilicet audita properarunt voce cohortes
Aeoliæ, ecce fugit ſpumoſior vnda ſuperbis
Fluctibus aſſurgens, iuſſo mare conditur alueo,
Et ſacra nudato ſiſtit ſe vertice cymba
Montis in excelſi, pauitant quem ſydera cælo,
Scilicet æthereum qui culmine pulſet olympum,
Deſpectetq́; ſibi ſuppoſta cacumina mille.
Interea Noas, haud ſpe lactatus inani,
Dimittit Coruum; montes circumuolat ille
Finitimos; fuſum ſed vidit vt vndique pontum
Tecta relicta petit rurſum; tandemq; feneſtra,
Poſt aliquot ſolis formoſa columba recurſus,
Exilit, & coelo ſe ſe committit aperto:
Aequora pelluſtrans hinc inde adremigat alis:
Vidit vt immenſum ſudo ſine littore Nereum
Inde ſalutiferam defeſſa remigrat in arcam.
Nec dum ſepteno proles Latonia gyro
Extulerat lucem, quando ſe rurſus in auras
Suſtulit; explorat terras, ſecat æthera pennis,
Atque refert roſtro ramum pallentis oliuæ
Parte ſuper fuſo media qui rore madebat.
Foelix augurium! foelix mihi nuntius ergo!

Terq;

Terq; quaterq́; mihi myſteria grata? Columba,
Dicite Io, ramum roſtro pacalis oliuæ
Geſtat, Io placida nobiſcum pace ligatur,
Aeterniq; Deus nobis dat foederis omen:
Antè feram poſitis dura in certamina Tigrim
Aſpicias iris, mollito corde Leonem,
Atque metu vacuos lepores, quàm ludat inani
Spe Deus humanos. O frons ſacroſancta, ſalutis
Nuncia, primitiæ frugum, tu ſiue relicta
Viuis ab eluuio mundum populante ſuperſtes,
Lætor ab inſanis non omnia merſa procellis;
Siue, quod amiſſa ſubſidant æquora lymphæ;
Tu veterem recipis viridanti fronde colorem,
Obſtupeo reputans quanta indulgentia coeli,
Quæ tot in extinctis vires, animamque labantem
Arboribus reuocet quæ nomine pingat amictu
Cuncta nouo, mutétq; vices, Sic Nauta locutus.
Ille autem quamuis nudatas æquore glebas
Hoſpita terra dabat varia regione locorum,
Quamuis Phoebæum iubar ille in nocte ſeneſcens
Detegit, ac putidos præſepibus haurit odores,
Non migrare loco, & ſolidæ ſuccedere terræ
Antè cupit pietatis amans, quàm rector olympi
Protonet & moeſtis iubeat diſcedere caulis.
Aſt vbi ſupremus ſolio rex infit ab alto,
Linquit inhorrentem triſti pallore cauernam,
Quin ſedem potiùs nigram graueolentis Auerni
Cum Sem, Cam, Iapheto, cum dulci coniuge, ternis
Cum nuribus: puras, impuras ille animantum,
Omnes educit ſpecies quas clauſerat arca.
Impia turba tamen quæ verba procacia nuper
Muſſabat, tenues ponebat & aure ſuſurros
Inter ſe, veteri poſita formidine, magno
Nunc blatit infrenis niſu, blaſphemaq; clamat.
Quis, niſi ſubleſtæ cui ſint præcordia mentis,

Cre

Crediderit, nauem quæ vix aſſurgat in vlnas
Ter denas, vix in cubitos porrecta trecentos
Et quæ vix quinas decies lateſcat in vlnas,
Hoc tot onus menſes arcta vectaſſe lacuna,
Quando Rhinoceros, ſitienti corde Camelus,
Fortis equus, rugans Elephas, & Taurus in antro
Pabula ſi iungas nequeant maiore recondi?
O ſcurræ audaces! ô terq́; quaterq́; profani!
Si dein nata, vago non cepi animalia clauſtro
Multa, Dionææ non ducta ab origine diuæ:
Indociles Mulos, nigris maculis Leopardos,
Quos calor inceſto generauit deuius œſtro,
Totq; Canes, & tot Gallos, variáſque columbas,
Quæ ſine fine nouas per iniquæ mixta Cytheræ
Oſcula progignunt ſpecies, quos Dædala rerum
Vis æuo genitrix luſus celebrauit ab omni:
Quin vobis ſi metra probem per ſingula, & omnes
Euincam cubitos, hoc, mentis acumine ſummo,
Arte laboratum docta verſatile Septum,
Tot potuiſſe ſuis animalia claudere mandris
Quando Geometricas cubitus ſurgebat in vlnas
Impia mordaces Momi dicteria deerunt:
Vlla Giganteas tentantes aſtra cateruas
Si mulcet ratio: Sed nos diuina ſequamur
Iuſſa, Dei miranda magis ſuprema poteſtas:
Hic hominum ſileant mentes: ſi dixit, & egit
Irrita qui nuſquam nec inania verba locutus.
Hinc, Acheronteæ crudeli gutture parcæ,
Se miti cœleſtis opis virtute fatentur
Nauicolæ ereptos: mage munda animalia mactant:
Inde pias adolent in amica piacula fibras,
Nidor & vſque Dei penetrat votiuus in ora:
Ardenteſq́; petunt, pulchræ pietatis amore,
Aligera prece ſyderei laquearia templi.
O Pater æterno mundum qui numine torques,
Ven

Ventorum atque maris domitor, nos aſpice vultu
Pacato, atque æſtus ira compeſce furentes,
Et da littorea tandem potiantur arena
Naufragij tabulata trucis, rabidoſq; coërce
Spumantis priſca Thetios ſub margine niſus.
Creſcite, dixit eis perpes moderator olympi,
Fœcundamq; citi ſobolem diſpergite in orbem
Vos ego in imperij regalia ſceptra repono:
Ergo ſuperba iugo laxata animalia veſtro
Comprimite, in veteres iubeo migretis honores:
O mea, chara mihi proles, ditione tenenda,
Hæc tibi do, do ſponte, datis nunc vtere, ſume
Cæde, ede: purpurei ſed eheu! fuge ſanguinis vſum
Et quæ fuderunt fragilem ſine ſanguine vitam,
Alituum rigido cedes animalia roſtro.
Odi ego ſanguineos hominis, vos viuite ſancti,
Sanctus ego: dextras ne cæde & ſanguine fratrum
Deturpate, animos contrà deponite ſæuos;
In ſtrages odium ſtudio ſeruate perenni,
Vos nec in humano defringite corpore ſummi
Numinis effigiem: crudeli morte peribunt
Crudeles: homicida luet pro crimine tandem
Sanguineam mortem: fuſo qui ſanguine gaudent
Perſequar horriſono crepitantis turbinis æſtu.
Euge, metum mœſto deponite pectore, nunquam
Tota ſuperfuſa tellus ſtagnabit ab vnda,
Spondeo, polliceor, iuro, fiducia verbis
Certa meis, quem nulla vnquam ſententia vertit,
Denuo per ſacrum vobis hoc ſpondeo nomen:
Pignus erit fidei variata luce renidens
Nubibus in mediis poſthac Thaumantias Iris.
Quando igitur toto tempeſtas turbida cœlo
Ibit, & exitium ſuſpenſa minabitur orbi
Vnda, polúſque atris proturgens nubibus altos,
Cùm medium aſtriferi conſcenderit axis Appollo,

Velabit

Velabit montes; ſimul & cœlúmque, diémque
Eripient denſæ nubes, aduertite læti
Huc oculos, oculis roſeam ſpectabitis Irim,
Quam licet in madida deſcriptam nube coronent.
Obuoluantq́; vndæ, tumidóſque in nubila fluctus,
Oceanúmue putes totum ſorbere, refuſa
Denuo qui terras poſſit ſubmergere lympha,
Eriget in dubiis crudelia fata timentes
Caſibus, atque datæ fidei meminiſſe iuuabit:
Nam tum promiſſi dabitur conſtantia noſtri.
Lamechides oculos ad ſydera tollit, in vdo
Aëre diſperſos proſpectat mille colores,
Quos dant expanſo picti curuamine nimbi,
Abſciſſum media miratur parte nitentem
Circlum; námque viam ſublimi affecta olympo:
Eſt diametrus ei noſtrum quæ terminat orbem
Linea, & æquali flexu ſinuatur ab omni
Parte arcum referens, ſed ternis arcubus arcum,
Aſſimilis nitido primum color induit auro,
Irradians viridi tegitur ſplendore ſecundus,
Cæruleoq́; ſequens ridet velatus amictu:
Aſt Athamantæum ſic cærulus integit arcum,
Aureus, & viridis color, vt maculatus ab omni
Parte det aduerſo diuerſos ſole colores.
Hunc gerit arcitenens coelo qui fulmina vibrat,
Hic faciem neruo telluris lambit, & orbem
Diuidit in geminas flexa ferrugine partes
Vtramque Oceanis ſitiens qui diluat oram.
Flammigeros orbes fugitiua luce ſubornat,
Larga cui validos dederit natura colores.
Quod ſi cœruleo tantùm roſeóq; moraris,
Prodigiale rubens hic olim nuntiat ignes
Venturos, quibus hæc moles, hæc machina mundi
Ardeat, & noſtro ſit terminus vltimus æuo,
Quum ſcelerum ignifera veniet quæſitor ab arce:
Ille

Ille mare, & merſos ſub aquoſo gurgite campos,
Prateritaſq; vices,& prima piacula narrat.
Vtq; Deum Noas ſupplex in vota vocauit:
Brachia non patitur ſegni torpere quiete;
Carpit opus prudens., & quam puerilibus annis
Edidicit,rurſus molitur ſedulus artem:
Nam deteſtandi ſoboles infanda tyranni,
Germano primus dextram qui ſanguine tingit,
Abiicit agreſtes operas,atque otia mollis
Eligit, optatas inquirit in vrbibus vmbras.
Montanas rupes,ſata læta,boumq; laborem
Deſpuit, & doctas animum dimittit in artes,
Ad leges, ad ſceptra vocat: ſed candida ſancti
Progenies Seth,quæ noſtram non neſcia pauco
Naturam expleri,campos operoſa fatigat,
Lanigeros,hirtóſq; greges per paſcua læta
Seruat, ab inuidiæ fœlix intacta ſagittis:
Hoc illi fœnus,non illaudabile lucrum,
Arſq; fouens artes, & vita vita beata.
Ecce vbi tellurem fœtam glacialibus vndis,
Aſtriferi decus eximium prolectat olympi,
Nauita quo mundus liquidis ereptus abyſſis
Fœcundæ ſulcat matris prægnantia terga.
Impigro ſudore madens,primúſq; tenellum
Tempore ſarmentum maturo conſerit:almæ
Nam modò reſciſſas matris de corpore,ſulcis
Et ſcrobibus ponit lapidoſi collis, amicus
Quem tepido aduerſum proſpectat lumine Phœbus,
Pampineas ſtirpes. Quando nouus emicat alto
Orbes aries,terram ſubigit:bis terq; putator.
Falce leuat vitem, ramis enudat, & aruum
Mundat,&adiungit ſub acuto robore vallos,
Quadrifidáſque ſudes: ac tandem tertia ſurgens
Autumnus,votis longè maiora colono
Cedit,odoratas cultro dum demetit vuas.

Obſita ſed molli procera palatia limo,
Et ſe ferme vnum vaſta conſiſtere terra
Duum videt , ingentiq; cupit concuſſa dolore
Corda ſenex mulcere, graui de more remittit,
Dulcia nectareo quærit ſolatia vino,
Inq; venenata ſucci dulcedine curas
Inſanus mergens, mergit rationis acumen.
Iamq; caput graue fit, nutant veſtigia, pulſat
Feruidus aſsiduo cerebrum glomeramine fumus:
Narrat inepta vago balbus ſermone , relinquit
Ambiguas, truncas demens nullo ordine voces:
Tormina præſaturum torquent crudelia pectus:
Membra mouet valido paſsim titubantia Baccho,
Ac tandem, vinoq; labans, ſomnoq; ſolutus,
Procumbit , mediis ſtertens iacet ædibus vt ſus,
Et miſeræ ignarus ſortis, multóq; ſepultus
Membra mero retegit, texit quæ funere Cæſar.
Sicut odoratas Arabum per inane voraces
Corui, qui ſyluas tranant ſtridentibus alis,
Fœlices hortos, genialia clauſtra vapores
Ambroſios pictis temnunt ſpirantia plantis:
Aſt informe recens diro pro crimine cæſi,
Et rigido duræ confractum pondere maſſæ,
Putre petunt corpus, viliq; cadauere ſidunt.
Aut velut ignarus pictor, qui pinguiùs artem
Factitat, informes maculas fœdúmq; colorem,
Orbibus immerſos oculos, turgentia labra,
Impiger & graphio nares depingit aduncas,
Segnis at ille notas inſignes præterit oris.
Sic fera mendaci ſoboles prognata parente
Eximium pulchræ ſorbet virtutis honorem,
Dente venenato peccata leuiſsima carpit,
Illa malis liuens aliorum inſultat, & omni
Crimina clarorum tenuiſſima prædicat æuo,
Qualis ab excuſſo ſpectare pudore pudorem

Cham

Cham patris audet, amat vetulam deludere riſu,
Lenæo tota vinctus qui mole iacebat.
Huc agite, huc rapidi, huc fratres accurrite, clamat,
Noſter adeſt noſtræ cenſor ſine crimine vitæ,
Ecce iacet lecto, cenſor, multóq; ligatus
Membra mero, vomit ille oculis, & naribus, ore
Euomit epoti fumentia pocula Bacchi,
Sordida iam totum fœdauit nauſea lectum,
Et cunctis aperit ſtupidus genitalia membra.
Ah ſine fronte canis tunc frater dixit vterq;
Iras flammigera iuſtas in fronte gerentes,
Spurce: ferum, cœlique haud dignum lumine monſtrū:
O ſcelerate tua qui condere veſte parentem,
Condere frænata per cauta ſilentia lingua
Debueras, quem nunc laticis ſemel impetus ardens
Mœonij, mœror, mala tædia, cana ſenectus
Decepere, prior latras, culpámq; pudendam
Auſus es infami ludens reſerare theatro.
Hæc dum feruenti proclamant voce, parentem
Auerſi vultus nudatum membra tegebant.
Mox vbi turbantis vini deferbuit æſtus
Vir pius excutitur ſomno, pigróq; ſopore,
Agnoſcit culpam, pudibundus & obſtupet hanc vim
Oblituiſſe mero, & cruciatus pectora curis,
Fatidico natos compellat gutture vates.
Cuncta ſiniſtra precor tibi Cham maledicte, tibíq;
Dilecto Canaa: ſurgens Aurora cubili,
Veſper & egelidæ reuehens vaga lumina noctis,
Et media ſol axe ſedens, ſine fine ſubacta
Veſtra iugo videat ſeruili colla: piúmq;
Sem comitare Deus, Iaphetumq; tuere, ſacrámq;
Tu modo progeniem varias diſperge per oras.
Obſcœnum ſcelus, ô demens errórq; furórq;!
Error ab arbitrio naſcens! inſania præceps!
O breuis at metuende furor, qui Penthea matris,

Qui Clytium manibus mactas feruentis amici
Bellerophontæum Thraſoni dira phrenitis
Das animum:nugas,& inani a verba loquaci:
In Phalaris mutas violentia pectora pectus
Sæpe ſalax per te ſcortator factus adulter,
Dirus adulter amat ſcelerata inceſta, veneni
Singula noſtra tui fermento crimina turgent:
Tu ſine luminibus, viuis ſine fronte, piamq́;
In mente extinguis mentem, ſanctiſſima diris
Criminibus corda inceſtas. Dum muſta lacunis
Feruida diſſiliunt , crepitant ſtridore ſonoro
Vincula vaſorum, ſurſum truduntur ab imo
Spumoſæ fæces iterúmque iterúmque volutæ:
Hoſpita ſic agitas crudelis viſcera, dirum
Hoſpitibus ſtruis exitium: tu garrula cœci
Prodis in arcano cordis ſeruanda receſſu.
O funeſta lues, quamuis contagia peſtis
Dira tuæ, ſcelus hoc vnum poſt condita ſecla
Patraſſent terris, ſacra quo dulcis alumnus,
Virtutis typus, & cuſtos, ipſiſſima virtus
Deſipuit, mage tu Parcis metuenda malignis.

GVIL. SALVSTII

HEBDOMAS SECVNDA

DIEI II. LIBER II. SEV

BABYLON.

O Fortunatos quibus eſt ſub Principe vita,
Cui maior populi, propriæ quàm cura ſalutis!
Qui domat impuros homines, pia corda tuetur,
Nec dat adulanti, quam dat prudentibus aurem:
Quique ſui rector, non tam formidine legum,
Quàm candore graui propulſat crimina regno:
Cui demiſſus ineſt animus ſub fronte ſeuera:
Qui populi fido tutus ſtipatur amore,
Nec nimio haud tumidus pendit gemmantia ſceptra:
Quem non vota, trahunt amor, & reuerentia recti,
Cùm ſciat excelſo populis ſe ſtare theatro
Conſpicuum, qui facta notent & ſingula voluant.
Aſt Acherontæum miſeri decurritis æuum,
Seruitio preſſos calcat quos dira tyrannis
Crudelis Siculi, tondentis torre capillos:
Inceſta Cypri fœdantis tecta, Neronis:
Bubonis, qui non ſolem tolerare Senatus,
Nulliúſque potis Synodi, priuata paueſcit
Colloquia, inq́; ciet certamina dura clientes
Cui rixæ in populo, cui iurgia ſola voluptas:
Cuius corde fides, pietáſque excuſſa, pudórque:
Multa ſubinde creat, nectit noua munera priſcis
Muneribus: pulchra claros virtute, potentes
Odit, & in tota ſurgentes ſcindit ariſtas
Meſſe: leone fero, rapida vel Tigride peior,
Non conſanguineis, fratrum non parcit amori:
Ac licèt accinctum gladiis, haſtiſque coronet

Vſque ſatellitium, trepido terrore fatigant
Sollicitum plures, quàm terreat ipſa, nec vſquam
Auditis, populum gaudet vexare tributis,
Atque Anthropophagus teneras vorat vſque medullas.
O Rex ſumme poli, noſtris concede clientum
Regibus, & legis ſacræ cultricia corda:
Quos ſi peſtiferis temerarint verba venenis
Aulica, vel noſtro luxus diffuſus in æuo
Deuia nemrodicis deformet pectora ſignis,
O Deus impreſſæ citus adde piacula labi,
Vt Babylon ruat, & Solymæ noua mœnia ſurgant,
Lætáque Calliope totum tunc perſonet orbem.
Nondum bis ſenos Nimrod ſuperauerat annos
Quum premit æquæuos ſupera ditione tyrannus,
Inſultat paribus: regni, ditiſq; futura
Fundamenta parat fœlix hoc omine, fortis.
Nixus arundineis captat puerilia ſceptris
Regna rudes inter paſtores: inde beatas
Quas animo putat imperij meditatur habenas:
Magnanimus tenuem geſtis ſuperare popellum
Incipit, & pulchra virtutis imagine claras,
Non iacet in molli lecto ſub nocte ſopora,
Nec trahit ille dies hypocauſtis: omnibus acer
Indurat corpus: non picta cubilia curæ:
Rupe iacet ſcabra, cœlo velatur aperto,
Non melitæa canis, paſſerúe, aut ludicra cordi:
Arcubus exercet luſus: ſudore laceſſit
Corpus, & imbellem deprendit in aëre prædam
Aſtoribus: fuſis & equos immittit habenis:
Deliciæq; dapum ſunt illi caprea, parte
Quam potuit tantùm tremulus deglubere: ludens
Non intermiſſo montana cacumina curſu
Exuperat, contráq; ſecat quàm truditur vndam
Torrentis rapidi, valido qui flumine centum
Oppoſitos vicis pontes, hyadúmq; madore
Turgidus

Turgidus & ſtrictæ vallis per ſaxa volutus
Præcipiti fertur curſu, & ſalientibus vndis:
Emiſſamq; manu repetit non ſegnius haſtam,
Curſibus exagitat ceruam, damamq; fugacem.
Viuida poſt luſtris ætas iam quinque peractis,
Vt vires, animumq; augens feruentia replet
Viſcera Marte nouo, Leopardos, Tigrides, Vrſos
Impauidus ſtabulis, nec non genus acre Leonum
Inuadit, vincit, madefactas ſanguine figit
Exuuias vbi dat ſe ſe locus editus: ac tum
Dira necem populus tot monſtra parantia campis
Vt vidit tanti cecidiſſe ſub Herculis armis,
Immunéſq; feris ſyluas vlulatibus: omnem
Depoſuiſſe metum patulis pecuaria pratis
Hunc colit Alcidem, hoc gaudet domitore ferarum
Indomito: patrem iactat, dulcémq; ſalutis
Prædicat authorem qui tot nocumenta fugarit.
Dum fauet aduerſis melior fortuna capellis,
Arripit, inſtigat, palpo petit: vndiq; tentat
Hanc modo, mox illam Nimrod, fœlicia cœpta
Maturat: cui præda fuit genus omne ferarum
Præda fit humanum genus: vt puerilibus annis
Decipulis, eſca, viſco, & modulamine auenæ
Illudebat aues: ſed vbi prouectior ætas,
Effera quæ denſis latitant animalia ſyluis
Aggreditur telis, haſtis, & robore claua:
Per promiſſa alios, alios per præmia blandus
Aucupat, atque alios ſæuus vi, verbere cogit.
Ac rabidus recti iuſtiſsima vincula ſoluens,
Sceptra renaſcentis prædo ſibi vendicat orbis;
Cùm priùs imperio primæui quæque propago
Pareret. Nec enim laſciua, audaxque iuuenta
Turbida cui mens eſt factúſque volubilis, vnda
Falce, ſenum noſtro meſſem tondebat vt æuo.
Ille ſuper ſolio Buſiride digna tyrannus

Audet, & humanas leges, & iurà Tonantis
Peruertit, tumidúſq; Deo de more Gigantum
Inſultat; fronti Aeternæ florentia ſceptra
Impius oſtendit; populum, gazamq́; potentem
Sumptibus exhaurit, condendæ brachia turre
Occupat, immenſum quæ mole Atlanta referret,
Ne locuples, tandem pertæſus regna tyranni
Abdicet. heus, inquit, nimis eſt vixiſſe vagantis
More feræ ô ſocij, tentoria linquite, veſtra
Tecta, peregrinæ ciues mala commoda vitæ
Regalis condenda domus quæ vertice ſedes
Splendida ſydereas, & quæ pede Tartara pulſet
Perfugium dabit, & ſacro vertetur aſylo,
Diluuij ſpretura minas, æſtúſque furentes.
Huc agite, & properè cingamus mœnibus vrbem,
Qua ſimul vnanimes lecto ſub rege iuuabit
Ducere quod ſupereſt æui:nc principe vitam
Sub vario varia diſperſi ſede trahentes
Auxilia afflictis adiungere mutua rebus
Non liceat. Si noſtra autem præcordia flammis
Bellifer accendat Deus, aut fortuna per orbem
Sparſerit aſſimilis, ſemper manſura locentur
Aſtrifero, ſocij, pulcherrima nomina muro.

Frondentem veluti tenuis vulcanus in oram
Cùm vaſti inſilijt nemoris, quem turba gerebant
Algida paſtorum flammato torre, tenello
Occulit in tempus ſe fomite: nubila dumo,
Et volucris torquet ſinuoſa volumina fumi:
Móxq; ubi ſepitum flabris exſuſcitat aura,
Aeſtuat, & laxis rutilus ſe iactat habenis.
Ex humili ſpinam dumo ſe trudit in albam:
Hinc ſalit in duras quercus; à quercubus altis
Inſidet abietibus: vires acquirit eundo:
Nec mora, nec requies: procuditur ignibus ignis,
Et Dryadum viduat natali cortice fœtus.

Sic vbi mellitas effudit gutture voces,
Ocyus iſte fauet, verbis applaudit & alter,
Quos ſocio ciues inter ſibi iungit amore.
Mobilis ingenij conſentit turba: popellus
Ipſe pari ſtudio paribúſque aſſenſibus implet,
Culmine qui cupiat perfecto ſurgere turrim.
Inſtant ardentes, valido pars vertere ferro
Ingentes alnos, denſæ pars ſoluere quercus
Compages: reſono procumbit fraxinus ictu;
Vmbriferò virides ſyluæ ſpoliantur honore,
Et Phœbo expandunt, quas numquam lumine terras
Attigit. Admiſſis victoribus hoſtibus, vrbe
Cernis vt edomita ſtrepitat populatio: læti
Fletibus immixti riſus: clamorq; fragorq;
Audiri: prædam rapiunt, vectántq; trahúntq;:
Miles agit currus victor: fera nulla rapaces
Hic ſiſtat dextras: deſunt loca cœca latebris:
Perq; ſuam fugit vrbs vno cum lumine portam.
Sic decus, Aſſyriis nictu de collibus vno
Frondoſum rapidi excutiunt lignaria turba,
Vmbriferis montes nudant horroribus altos,
Arboreoſq; metunt lignoſa per æquora ramos
Se denſi currus, mulorum denſa cateruæ
Concutiunt: querulus ſub pondere congemit axis.
Hîcce bitumineas ſtagnis de pinguibus vndas
Eliciunt, iſto ſolidant ferrumine muros.
Hicce vaporiferis terram fornacibus aptant
In lateres, atque hic Stygium Plutonis ad orcum
Fundamenta cauant, ac rurſus Apollinis ignes
Aſpiciunt animæ infames, quos nulla videndi
Spes erat, & ſonitus diſpergit in æthera duros
Malleus, auditos horrent ſub Tigride piſces.
Aſſurgunt muri: murorum expanditur vmbra:
Iam procul apparent: loca fabris omnia feruent,
Qui ſe tacturos ſperant vaga ſydera iam iam.

Vidit vt Aeternus dementia coepta, ſeueram
Corrugat frontem. Quali per nubila denſa
Tempeſtas ſonitu grundit, dum turbine montes
Eruit, & ſolido deturbat cardine cœlos
Sic ait. En nanos: genus en ter vile, putriq;
Puluere prognatos homines. O mœnia firma!
O turrim quæ non vlla expugnabilis arte!
O validum contra cœli tot fulmina caſtrum!
Ipſe ego iuraram quòd denuo merſa furentis
Oceani, tellus nunquam premeretur ab vndis,
Clauduntur vallo: fuſos effundere in orbem
Optabam genus, en clauſtro capiuntur ab arcto.
Lex, Dominus, vindex, & paſtor adeſſe volebam
Vnus eis, en nunc rigida ditione tenentur
Sponte feri prædonis: agunt ſub Principe vitam
Infando, quem iam gazarum cœca cupido
Prenſat inexpletum populi, & conculcat olympi
Iura paratq; audax ſacras conſcendere ſedes.
Nunc cœptum frangamus eis quibus vna voluntas,
Et lex vna, vnum genus eſt, vox vna tenaxq;
Irruit in facinus mens quæ noctéſq; diéſq;
Incendunt animos ad opus ſermone ſuperbi:
Siſtamus poſito properos ſufflamine nixus:
Ilicet vnanimes ſubeat diſcordia ciues:
Lingua peregrinis ſcateat vernacula verbis:
Eſto patris nato, fratris vox barbara fratri:
Dixerat. Extemplo confuſo murmure turri
Perſonat: innumeros ſtrepitus, fremituq; volutant,
Qualis thyrſigero ſub ruſtica turma Lyæo:
Muſſitat hic: loquitur mucoſis naribus ille:
Hic incompoſitas eructat gutture voces:
Sibilat hic: atque hic crebris vlulatibus implet
Aera: balbutiens hic dat titubantia verba
Et ſua garrulitas cunctis: conamine multo
Incaſſum exquirunt quæ cum dulcedine lactis

Hauſe

Hauſerunt tremulis vocum modulamina cuius.
Dum decorat, roſeo ſurgens aurora cubili,
Oſtia formoſa vario ſplendore dei,
Surge age, da pictis faciles cantoribus aures,
Mille ſonos ſyluis, diſcordia carmina mille
Accipies, quæ læta cohors concedit Amori.
Quiſq; ſuos modulos, ſibi nota vocabula quiſque
Confuſo ſonitu ramis ibi garrit ab altis:
Tum mixtos ſitus, immixtaq; murmura noſces,
Implebat ſcelerata cohors quibus vndique turrim.
Clamitat hic, leuem mihi porrige porrige Trullam,
Marculus adfertur: laterem hic abſcindite clamat,
Robora diſcuneant: vos hunc intendite funem,
Conuellunt rapidi: tabuletur machina, terra
Aequatur, ſocij libram, mihi tradite, norma
Traditur: exclamant: cruciant fera pectora, nutus
Dãt fruſtrà: hic quod opus ſtruxit, modò deſtruit alter.
Ilia feſſa quatit iam ſpiritus æger anhelis:
Iam crebris fracti vires vlulatibus, & quò
Conantur maiora minus conamina parent.
Vtque cauo fabri proceras fluminis alueo
Dum pangunt pilas, vbi multa volumine multo
Montibus orta recens labi torrentia cernunt,
Iamq; nouas inſtare vndas, inimicaq; molis
Flumina, diffugiunt celeres, cœptumq; relinquunt.
Sic vbi turbineos irati numinis æſtus
Aduentare videt muris intenta caterua
Linquit opus: monſtro deterrita, linquitur omni
Illa animo; libras, ſua perpendicula, normas,
Et cita marcullos irata proiicit vlna.
O ſcelus! ô nimium ventoſa rebellio, pœnas
Cerne graues, quibus exercet permixtio vocum,
Heu! nunc arentes riuos in mille decrrat
Dulcis & ante fluens vno ſacra flumine lingua,
Maſtiche amicitiæ, populorum nexus, & ira

Inſana domitrix: frænanti turgida faſtu
Pectora, flexanimi, mulcenti triſtia corda
Hoc fugiunt mixto pondus, ſonus & color auro:
Sordet adulterijs tanti præſtantia doni:
Nunc ab Afris, Geticas; ingens Babylonis, ad oras
Confuſæ ſtrepitat caſus. Findandicus Afros
Indicus heſperios, & America regna Britannus.
Viſiſſent nullo docturi interpretis vſu
Qui burgo fines, fines nunc riuulus idem
Conſtituit lingua: mutis, miſerabile dictu,
Quod natura dedit rationi prouida, nobis
Tollitur egreſsis tecti vix lumina telum,
Atque per inſolitos geſtus aliena per ora,
Vicinis noſtras populis expromere mentes
Cogimur. Heu! nullo veniebat parta labore,
Parta nec arte graui veniebat ab vbere matrum
Agnita vox cunctis: & vbi puerilior ætas
Septenos nobis exacta impleuerat annos,
Arte docebamur numeros connectere, nexos
Soluere, diffuſumq́ globi metirier orbem,
Inq́ nouas ſenſim prouectus ab artibus artes
Quiſq́ modò ſacri tangebat culmina valli,
In quibus æternum lauro redimibat ouante
Tempora charorum circlata ſcientia rerum.
Romula diſcentes, Hebræa, vocabula Græca
Nunc ſemper pueri ſermone ſeneſcimus vno:
Nil niſi garrulitas ſupereſt: lectiſſima verba
Venamur vigiles, ſine fine inflectimus: æquo
Syllaba, litterulæq́ omnes examine penſa
Voluuntur: ſenio, pendimus ab ore docentis
Grammata, languentes: larga myſteria quando
Naturæ: Hippocratis veneranda volumina: leges
Romulidum ſacræ: atque vnæ eſſentia rebus
Omnibus eſſe ſuum largita: aut biblia nobis
Veſtiganda, piis vbi cum lectoribus orbis

Rex agit. Hic crebro memorem quid carmine plura?
Vndique lingua Dei: perfectum idioma, character
Cui nullus, nullum quod non myſteria diues
Contineat punctum, humano manabat ab ore.
Aſt audax vbi ſuggeſſit dementia faſtus
Cœpta, nothis, reprobis, fractis ſermonibus vſæ
Quæque ſuis gentes, quibus inconſtantia conſtans
Sermonis: iubare, vt tandem viduatus auito
Tenuia vix priſcæ ſeruet veſtigia formæ.
Inter fœcunda paſcit quos refluus vnda
Nilus, & Idæos nata eſt diſcordia quandam,
Ægypti-ne prior ſermo, Phrygiæue fuiſſet:
Soluere diſcrimen cupiunt. Tum iura feracis
Mollibus eloquij committunt ardua linguis,
Et ſtolido ſtolidi certant ſub iudice. Binos
Vt lucem hauſere infantes ad inhoſpita duci
Antra iubent ſyluæ: per muta ſilentia mutæ
Edurant illic matres, nec verberet aures
Vox illis hominum, donec duodena ſequutus
Signa ter auricomus Titan: ductique colonum,
Præſcripti tandem perfecto temporis orbe,
Fertilis in mediam Ægypti, Phrygiæq; coronam
Nil niſi Bec clamant, vox illis vnica Bec Bec
Gutture ab infirmo, mollique emanat ab ore.
Hoc Phryges exultant audito nomine, frontem
Exhilarant. Totum, ô ciues, natura dirimit
Diſsidium, clamant: nos, nos natura fauore
Eſt amplexa ſuo, quibus eſt Bec nomine panis.
O vos dementes, quos tum balantia monte
Agmina, verticibus ſapidos tondentia flores
Vicinis, vocem hanc pueros docuiſſe latebat:
Memphios, aut Troiæ, Iudæa, Latina, nec Angla,
Gallica cum nobis, nec Græca vocabula naſci,
Vſu quæ longo, doctáque petantur ab arte:
Inſita cùm fandi nobis ſit ſola facultas.

Cogna

Cognatum decus eximio rationis honori:
Cuius ab inſanis numeroſa opulentia turmis
Brutorum potiore homines diſcrimine donat.
Mox tamen obiicies reſono frendere rugitu
Et mox anguſta dare murmura voce leonem:
Cornigeros mugire boues, aſinóſque rudentes
Audiri: hac docta mentes aperire loquela.
Hac perturbati per certa pathemata motus,
Mœroris, famis, atque ſitis, flagrantis & iræ,
Lætitiæ, aut triſtis dant ſigna doloris, amoris,
Confuſáſq; notas animi: ſed verba negamus.
Sic matutino renouat cita carmina ſole
Aligerum genus inſidens per deuia dumis:
Nam quod vel binos, ternos ve idiomata iunctim
Fundere ab ore putes, concentibus aëra mille
Dum feriunt, & mille modis caua guttura voces
In varias ſinuant, vt ab his didiciſſe magiſtris
Cinthius Aonias artes credatur Apollo:
Sunt ſine mente ſoni, ſunt ſigna carentia linguis,
Vnicus eſt vna cantus repetitus in hora
Sæpius. & mutæ vocis labor irritus idem.
Vnus homo vitæ pulchro moderamina rectæ
Exprimit eloquio: quid honor, prudentia, virtus
Narrat: & æthereos orbes, vndam, aëra, terras
Explicat: expreſsis, variiſq; latentia mente
Senſa docet verbis, ſermone exornat acuto
Qualis adeſt noſtro mirandus Scaliger æuo,
Clarus Apollineæ princeps, lumenq; cateruæ,
Perſidis, Heſperiæ, Iudæa, Pelaſga, Latina
Aſia, Chaldæa, & Germana, atque Itala verba:
Aſſyrias, Scoticas voces, Lybycáſq; diſerto
Qui det ab ore, alios, alióſq; Chameleo vultus
Induat: authorum cui nulla volumina non ſint
Peruia. Ter fœlix! quo non diuinius orbe
Ingenium toto: dignus cui Iulius ingens

Sit genitor: dignus cui frater Syluius, annis
Exuperans, quem noſtra colit frondoſa Pyrene.
Pſittacus in cauea clatro dum clauſus hianti
Vndiq;, vitricem quam dat facundia palmam
Ambit: & humanis certans, myſteria ſancta
Enarrat fidei: repetit doctoris Ieſu
Ore preces: noto compellat nomine cunctos
Quos domus hoſpitio tecti ſuſcepit eodem,
Eſt ſimilis voci, vocis quæ filia noſtræ,
Garrula pulſato ſonitus dat vallis in antro
Neſcia prelati: vacuum qui pulſet inani
Aëra colloquio dicti non gnarus, & idem
Quod loquitur taceat, priuis ſermonibus aures
Cui ſurdæ. Nam lingua, ſonans eſt mentis imago,
Præcipuè dulcis, conciſa, & picta lepore
Ante ferum qualis Nimrod diffuſa per orbem.
Hæc autem ipſe meo reputans ſub pectore, linguam
Dædaleos taciti nobis aperire receſſus
Cordis, & implicitas paucis euoluere mentes
Hebræam meliùs, quàm Græca copia linguæ
Appoſitis audax, tranſlatis ardua, diues
Vincula dans, caſus, diuerſaq; tempora vocum
Vndiq; iactatis multùm ſpecioſa figuris.
Et quando præcepta mihi Rabina recurſat,
Litterulis quæ nacta ſuis quæcunque capeſsit
Aut oculus, vel caſta fides amplectitur, omnes
Incluſas ſacris reperiſſe in legibus artes:
Siue indefeſſo verias elementa labore
Mille modis vocum: Nam mox ſi e nominis auget
Contorti, & vires modò ſic anagramma remittit.
Vt numerans numeris minuit doctrina, vel auget
Tranſpoſitis numeros: ſeu qui myſteria pandunt
Accumules quos dant numeros elementa vocabli,
Atque parem numeris includas voce ſub illa
Vocem: ſiue notans vnus ſit voce character:

Siue

Siue ſit à ſola ſignata locutio voce,
Sicut in Aegypto preſſi ſub imagine labri
Myſtica prolixi latuit ſententia ſenſus:
Cùm vel ab Hiberni fumoſa littoris Aetna,
Indorum meditor longinqua ad littora nullos,
Nullos è Scythicis populos flagrantis ad auſtri
Littora, quos veſtrum tangant ô ſydera lumen.
Vſq; feros, legumq; Dei tam neſcia corda,
Queis non hebrea ſint certa vocabula lingua
Littera nulla quibus, quamuis caligine tecta,
Cui non primaua multum de luce ſuperſit.
Dum meditor veteris ſacrata volumina libri:
Non voces alias, alias non ferre figuras:
Vrim, & veridicos ceciniſſe oracula vates
Iſacidûm lingua, geminóq; in marmore denas
Inſculpſiſſe Deum Iudæo idiomate leges:
Ac demum claros diuina vocabula nobis
Curſores cœli, verbis retuliſſe Moyſes.
Denique dum reputo mecum, temeraria primis
Humanis olim non indita nomina inani
Sorte: ſed inſignis quibus eſſet energia, vita
Venturis memorans quod erat memorabile, ſæclis
Hactenus & Solymo ſenſu ſeruata, ſonóq;
Omnia: namq; rubri Iudæis fictile limi
Ada ſonat: Cain eſt primus poſſeſſus; & Abel
Luctus: Seth, poſitus: ſub quo vada celſa dedere
Otia telluri, requies: vita, Eua: ſacrata
Inuitis etiam Danaïs, ac ſponte fatemur
Iura vetuſtatis Iudæa debita voci.
Salue ergo, mentis ſalueto perennis origo
Picturæ: vox alma Dei: ô pellucida gemma:
O matrix: ô tu vocum Regina tot annis
Intemerata, cui nullum ſine pondere verbum,
Cui non vlla datur cœco ſine littera ſenſu:
Arcanis cui puncta tument. O myſtica lingua,
Quas

Quas meruere homines, populi, quas moenia laudes,
Geſtáq; nominibus, ceu per compendia narras:
Aëris hoſpitibus, ſiccæ telluris, & undæ
Nomina das patuli de more docentia libri
Et genus, & mores, donec cœleſtibus iris
Flammeus enſis iter ſacrum præcluſit in Heden
Nam Pater Elyſiis vero de nomine campis
Singula in imperij iuſtrans animalia ſignum,
Ordine bina ſuo iunctim gradientia, cunctis
Nomina ficta dabat, quibus hæc præſtantia vocum
Afforet, vt percuſſa ſoni dulcedine, doctæ
Cum ſonitu menti miracula traderet auris,
Quæ vaſtè omnicreans fudit Vox diuite cornu
Molis in æquoreæ populos, terræq; cateruas.
Ac modò nominibus properat coniungere verba,
Nam quid agit, vel quid patitur quod corpore conſtat
Auctums ſpeciem tradit modò vincula doctis
Tenuia coniugij: queis nexa locutio tantum
Præualet, exiguo quantum fabrilia viſco
Ligna, vel undoſa criſtato in vertice pennæ
Caſſis: & inciſa ſerratim veſtis ab ora:
Diuitibus ſolido quantum de marmore pilæ
Stylobatis: anſæ quantùm curuamine vaſa.
Per ſeriem nullis labens ſpurcata lacunis
Venerat ad ſeros Adæ ſacra lingua nepotes.
Donec in æthereas auſus conſcendere ſedes
Centimanus Nimrod: totúmque audita per orbem
Vnica milliflua diues facundia linguæ.
At veluti ſtudiis ponens diſcrimina, tecti
Tum pia in hebræi fertur penetralia: vel quòd
Non adſcriptus heber ſcelerata in cœpta cohortis,
Sennariſque procul prudens habitaret ab aruis:
Siue quòd inuitus rubra ſe ſiſteret arce,
Qua tacitus ſuperum ſupplex in vota vocaret
Numen, & iratus daret Orci ſedibus imis,

Quod

Quod condebat opus: quali per vincula Remex
In mare contendens, in ſe contendere niſu
Cogitur: ille quibus remos ſine fine fatigat
Omnia commoto ſub pectore dira precatur:
Siue quod Æterni larga indulgentia, ſanctis,
Ducta ſui ſtudio, meritáque cupidine laudis,
Mentibus accurſans, hebræo diues amoris
Liquerit hoc generi pignus, cùm cætera muros
Turba ſuperba parans confudit, turbida verti
Mille modis: fugiénſque celer quò fata vocabant,
Quiſque ſibi noua verba nouas diſperſit in oras.
At labens ætas, atque inuida, dente voraci,
Cœruleas nitidi prognata ad Tigridis vndas
Fabrorum ſtrepitu in medio vaſtóque tonitru,
Ac latè varios terra iactata per orbes,
Hæc modò natiuis viduauit verba figuris,
Et ſimul in varias diffidit ſingula voces
Æternum confuſa parans conſortia mundo.
Mille modos ſubeunt lingua: ſeu munera nobis.
Perſica de gremio dum porrigit Amphitrite
Æquoreáſque Ceres inuiſit frugibus vndas,
Mutua, verba nouis mutent commercia verbis:
Aurea ſeu lapida criſpans facundia lingua
Verba, modos dulces ſpargens, numeróſque loquela,
Aemula gloriolæ factis & ſtemmata rebus
Det noua, vel multis detrita reſarciat annis
Verba neglecta diu priſco det rurſus honori.
Aſpicis vt ſyluæ frondes ſurguntque cadúntq;
Quæ linguis olim, ceu candida lilia prato
In viridi, rutilum ſparſerunt verba nitorem,
Nunc irriſa iacent, exploſáq; prorſus ab aula
Abiectis pudibunda latent abſcondita vicis:
Et quæ præteriti moroſa expunxerat æui
Cenſura, hæc noſtris iterum cuduntur in annis.
Cui natura dedit fœlix, & acumine diues

Ingenium

Ingenium, dare vela poteſt audacia verbis,
Atq; peregrinas patrijs adſciſcere voces,
Et fera conſitibus componere verba: locuples
Vt mage ſit variè condita locutio, carmen
Proſaq; diſsimili niteant virgata colore.
Vnica lex linguis, vno lex pendet ab vſu,
Quæ defrenato curſu, cæcóq; ferantur
Quo ruit inſtabilis populus. Concinna lepores
Illa per eximios metas non tranſilit artis:
Nata ſimul, ſimul illa datur matura ſenectæ
Funereóque putens cunabula prima ſepulchro
Traditur: illa Dea expugnat ſtamina nentes:
Exulat infœlix æternùm hæc vallis in vmbra
Anguſta: Oceanum hæc celebris contingit vtrumq;,
Et per Apollineas reſonat laudata cohortes.
Quale nunc ſuperant Iudæa: Pelaſga, Latina
Nam Paleſtina referant myſteria voces
Sacra ter Æterni: breuibus cæleſtia pandunt
Iura. Pelaſga capit doctrinas, edocet artes
Omnigenas libris nitido ſermone venuſtis.
Maſculaq; Aeneadum ferro facundia lingua
Quas ambit Nereus olim fuit inſita terris.
Dum poſtrema meis intexo carmina chartis,
Cecropiaq; labor iam laſſat amabilis, agrum
Sæpe caput nutat, titubanti pondere pectus
Impetit: ambroſiis mihi rorida lumina ſuccis
Clauduntur: ſenſim ſoluuntur inertia membra:
Torpenti calamus dextra delabitur, inq;
Optato recubans effundo membra cubili:
Lethæis mergo curas in fluctibus omnes
Vna mihi ſuperat, ſuperat ſacrata cupido,
Quæ iubet vtilibus francos recreare Camœnis:
Nam cœleſtis amor flammato pectore feruens
In ſomnis animum vigili ferit excitus œſtro.
Somnus ad Auroram rutilis pellucidus alis,

Aureas

Aureus Egrediens nitidi per limina vitri,
Qua paulo antè patent vaſtæ quam limina tedæ.
Multa agitans ſecum in vallem deduxit amicam:
Qua non triſtis hyems, & anhelo Syrius æſtu,
Non Phœbea dies, & nox humentibus vmbris
Qua non brumales pluuiæ, coelumq́; ſerenum,
Non Boreas ferus, & placidi clementia coeli
Alternare vices varias didicere. Perenni
Vere tepet roſeis redimitus flamina ſertis
Mollis ibi Zephyrus ramos ſtrepit inter odoros
Florea frondentis ſyluæ clauſtra coronat.
Floricomæ medio conuallis in æquore ſurgit
Saxum immane ingens, lauis de more politum
Stylobatæ: multùm fulgore coruſcus aheno,
Vertice ſaxoſo, ſtat grandi mole Coloſſus,
Qui læua faculam, dextra prætendit æqualem
Aurato innumeras exertat ab ore catenas,
Auribus, atque imo ductant quæ corde ligata
Agmina mille hominum latis gradientia pratis.
Hic placatus Aper rabiem deponit, & vrſus
Mulcetur: iacet hic mollitus carmine Tigris:
Vicini ſaliunt montes, ſyluæq́; corona
Dat choreas mellita ſequens medulamina cantus.
Cincta periſtylijs circùm ſtat imago duobus,
Arte laboratis docta: ſolidoq́; columnæ
Innixæ plintho, linguis capita alta quaterno
Ordine ſubiiciunt, quos nunc Permiſsidos vndæ
Pota cohors primæ commendat munere formæ.
Primus adeſt, inter quos æquus amauit olympi
Rector, & Hebrææ qui dant fundamina linguæ,
Ille ſimul ſiccam, ſimul vdo flore cluentem
Qui tractat virgam, denáſq; in marmore leges
Euoluit manibus ſacræ pietatis alumnas,
Venturiſq; prior cantare nepotibus audet
Carmina, proſpicis monumentaq́; pandere chartis,
Æue-

Aeuo quæ longè numeroſa volumina gentis,
Geſtaq; Dardaniæ ſuperent: cui more Cometes
Flammea terrifici diffulgent ora: beato
Qui ductu regit Iſacidas terraq; marique.
Hunc ſequitur, reſonos pulſat qui pollice neruos,
Et blanda nectit voci cœleſtia Dauid
Mella lyra, quæ metra dabit dum luminis aſtrum
Nos almo iubare excipiet: quin fortè peractis
Mollibus aſtrorum choreis, hoc agmen Ieſu
Regis in excelſi choreas celebrabit honorem
Ad numeros fortémq; canent qui fortia vincat:
Aethereiq; canet volucris gens nuncia cœli,
Sanctus Io, ſanctus, ſanctus Deus armipotentum.
Tertius eſt Salomon, cuius monumenta coruſcant
Aurea præceptis, & pluribus aurea verbis,
Quàm micet inſigni gemmis in fronte corona.
Quartus Amoſides qui multa & dira minatur,
Cuius ineſt doctis, ſanctiſq; gratia labris.
Græcáq; melliflui neruis fulcitur Homeri,
Cuius in innumeras olim ſapientia ſectas
Diuiſa, Oceanis æqualia flumina latè
Eloquij varium ſparſim diſiecit in orbem
Nititur æthereo fœlix Platone: volucrem
Hic referens, quæ nunc Paradiſi dicitur ales,
Non tellure ſedet, nullis ſe polluit vndis:
Sed tantum aſtriferos ſuperuolat arduus orbes,
Quantùm Tartareis aſſurgunt ſedibus aſtra.
Argolicamq; ſuo ſuſtentant ordine linguam
Herodotus facilis: Demoſthenes aureus ore,
Corda regens hominum, facundæ regula turmæ.
Quem Catilina ferox, rigidumque Antonius hoſtem
Experti, ſaliunt cuius de pectore mille
Torrentes, quorum ſitientes flumina alumni
Cecropiæ. attonitam mergunt in pocula mentem:
Geſtaq; fœcundis Cæſar qui vocibus æquat:

Criſpus quem decorat neruoſa locutio. Thybrim
Qui vocat in patrium vaſtatæ mœnia Troiæ,
Cæſpitat & nunquam, nunquam dat lumina ſomno,
Perſpicuus ſemper, ſemper grauis, atque modeſtus.
Cui pudibundæ ſubeſt ſpecioſæ audacia linguæ
Omnibus abſimilis, ſimilis ſibi ſemper, olympo
Scriptor ab aſtrifero miſſus: mellita loquendi
Pondera ſuſtentant, quibus inclyta Roma ſuperbit.
Audax Petrarcha, & picto ſermone politus:
Corda Arioſtus agens, variúſq; in flumine leni,
Et lepidus dictis Bocatius, Itala firmant
Verba. figuratis diues, con-iſus acutis
Vocibus, exametro mirandus carmine Taſſus
Stat prior inſignis lauro, licèt vltimus annis.
Firmaq; ſunt Arabi fundamina Auerrhoes ingens,
Intima ſubtili penetrans indagine rerum.
Ibnufarid fluidus, cui verba venuſta figuris
Eldebag irriſor: fandiq; Auicenna peritus.
Teutonicæ baſis eſt, lepidum qui reddit auitæ
Sleidanum linguæ. Sermonis amabilis auro
Peucer: & æternum Vitebergæ gloria magnus
Luther: & ille meus præſigni nomine Beutric.
Guenara, Garcilacus, Boſcan, Granata diſerti,
Pocula nectareæ poti ridentia Pithus
Caſtaliam referunt linguam: nec munere ſuppar.
Oſias Heſperiem poſſet contendere laurum,
Ni priſco raperet Cathalonia vocis honore.
Atque inconcuſſis ſedet Anglica lingua columnis
Bacchona, & Moro, qui mollia verba parentis
Vbere ſucta nouant, grauibus ciuilia dantes
Vocibus, ingentes ambo moderamine regni:
Et Cygnea ſonans diues modulamina Cydne
Turgidulas Thamiſi demulcet fluminis vndas:
Flumen honore tumens tanto, deuoluit amatæ
In Thetios gremium, gremioq; refundit in orbem

Elo

Eloquium mirata Phetus,mirata leporem.
At quis aperta nouus pulſat mihi lumina Phœbus?
Momentóne poli turmis fœlicibus addor?
Qualis adeſt habitus!qua Principe digna venuſtas!
Quis nitor Angelica frontis!qua fulmina leni
Euibrata oculo!Soboles diuina:ſorores
Dicite Mœonia,num Pallas maxima?numquid
Prudens Elizabe,qua ſic dat iura Britanno,
Vt non fœmineum cupiat mutare virili
Ille iugum?placida regnum qua pace tuetur,
Quo legum venerandus honor,candorq́;,fidéſque
Iuncta vigent,quando flammis,vicináque ferro
Omnia,Tartarei ſedes pertaſa magiſtri,
Deuaſtat,Bellona furens,& luridus orbi
Naufragium vaſto minatur turbinis horror:
Cui non eſt patria tantùm facundia lingua
Diues,at Hiſpanas,Gracáſque ex tempore voces,
Gallica, & Italica,& Germana,Latináque molli
Sic ſine verba mora fandi doctiſſima reddit,
Eius vt Arna ſibi,ſibi Gracia,Gallia,Roma,
Rhenus & inſignem ſibi vendicet amulus ortum,
Bellica Mauortis domitrix,ſeptemque trionum
Candida gemma,ſacri dulces heliconis alumnas
Quo pia cœpiſti ſtudio complectere,& olim
Si liber in niueas ſuperato marmore fœlix
Inciderit candore manus,qua dulcis habena
Iuſtitia tot corda regunt,Regina fauorem,
Da mites oculos,nec dedignare:canendis
Laudibus vna tuis,tua par facundia tantùm.
Dicite Sicelides francos.Quis terminus ille,
Cui rudis informi tantùm rudiora recidit
Latomus ignauis manibus:tu terminus ille
Artifici Marote manu,qui neſcius artis
Condis opus,ſacróque agitans tibi pectora thyrſo
Heſperium patriis adfers Helicona Cadurcis:

Te

Te Clemens Marote pari dignamur honore,
Quem niger attritus, muſcoſa veſte Coloſus,
Quem tumuli meruere grauis monumenta, numuſq;
Ambeſus: nec enim ſuadet reuerentia formæ,
Iſta vetuſtati debetur gloria ſacra.
Vicinum penitus nequeo cognoſcere vultum;
Quiſquis erit, docta dignus me iudice, lauro:
Sto dubius. Nam mox Blaſius Vigenarius, & mox
Facundè reſonans Amiotus adeſſe videtur.
Exuit eloquio Danaos, gentemq; Latinam,
Et ſpoliis melior magnus Ronſardus opimis
Hic patrias ornat voces, foeliciter audet
Carminis omne genus, ſegetem cui meſſis in omnem
Indomitos Solymæ populos, menteſq; profanas,
Hic & Paganæ domitans ludibria ſectæ
Vertit in authores reuoluto turbine tela,
Cui ſolidæ, pictæ, puræ ſunt monina vocis,
Atque ſtili ſacros intendit robore tanto
Mornæus neruos, vt diues acumine, cordis
Ima pii miſſæ ſubeat de more ſagitta.
Ac tandem ſi core loquor. Vos clara, beataq;
Ingenia æternum quæ ſcripta dediſtis in æuum,
Cùm pede non parili poſſim præconia laudum
Conferre in francos: biſidique cacumina mentis
Hei mihi! non oculis liceat comitare petentes:
Genua mihi genibus pronis compreſſa roganti
Veſtra tenere auidis ſaltem concedite dextris:
Verticibus detur Phœbæo lumine claris
Apriles oro veſtris imponere meſſes:
Tenuia vos ſupplex oro mea carmina laudem
Laudibus in veſtris, æternáque nomina captent.
Nutu dant veniam votis; oculiſque columnæ
Eripiunt ſe ſe, valliſque recedit in auras,
Viſáque per ſomnum ſimul effugiebat imago,
Ni calami nigro tenuiſſem glutine pennas.

GVIL.

GVIL. SALVSTII
HEBDOMAS SECVNDA
DIEI II. LIBER III. SEV
COLONIAE.

FErtile dum primi vacua per inhoſpita terræ,
Naucleri deduco genus: terráque marique
Dux ego diuerſos fœlix noua regna per orbes
Veſtigo, atque vigil diffundo ſemina Noa
Vitis in heſperios Eoo à littore fluctus,
Quæ calida ſub luce reget me tegmine nubes
Vmbrifero? quæ ſub latebroſis flamma tenebris
Me variis premiſſa hominum deducet in arua
Gentibus, antè tuis gemmans Paradiſe viretis
Quàm datus Androgynogeminus fuit ortus in vno?
Sydus odorata miſsis orientis ab ora,
Quod radiante Magis ſacrum fulgore praiſti
Exoptata docens pueri cunabula, cuius
Perpetuo formoſa viget ſub flore iuuenta,
Diſcute velantem denſam mihi lumina noctem,
Detur vt orbe nihil quod nõn mea carmina luſtrent.
Nam licet hoc agitans iter, huc illúcque velatus
Mens ferat, iſta ſedet flagranti pectore maior
Cura, Theantropi lectorem adducere cunis.
At velut horrifici tonitru quum pulſa fragore
Sylua crepat, ramos rapidæ, nidóſque volucres
Deſertant: hinc inde petunt per nubila denſa
Denſa fugam: quatiunt vaſtis ſtridoribus alæ
Aëra: non binos exercet caſtus amores
Turtur: & ignoto, tenui lanugine tecta,

Audet auis præceps ſe ſe committere cœlo.
Sic vbi diuinæ vocis fragor intonat horrens
Vocibus in variis, vno euoluat impete turba
Territa, in Euphratis procudens margine Turrim
Quiſque ſibi molitur iter dextraq́; ſiniſtráq́;:
Vt ciet Aeternus migrant per inania terræ.
Nam qui terrenum pridem, moderator olympi
Conſilio humanis tacito conceſſerat orbem,
Non ſpecus in tetrum verti latronibus almam
Paſſus humum, & reprobro diſcindier enſe, genúſq́;
Cœnoſis hominum ſparſim ſoboleſcere terris
More feræ. At flammas cœcóſq́; cupidinis ignes
Stincturus, Sem, Cam, Iaphetcq́ herciſcit in æqua
Segmina tellurem: Sem Memnonis occupat oras,
Cam Libyæ, Iaphetuſq́; ſitas ſub ſole cadenti.
Quæ diues Scythici tellus à littore ponti,
Quo tumidus rapidas deponit fluminis vndas
Fluuiorum rex Oly, quem vix cymba diebus
Traijciat ſenis; Malacæ procurrit in oras:
Et Caryophyllum dantes, & cinnama quinæ
Inſulæ, & inſignis rutilo Sumatra Canopo,
Quam premit Aequator, Zeilani ditis ad vndam
Gemmiferam, & ſolide locuples Biſnagar ab auro:
Aequore ab Euxino, fraterniſq́; amnibus vndæ
Chaldææ, ad fauces Aniani: torpida Quinzit
Stagna bibens: Seris veſtitos vellere tauros
Aequales ſeruans elephanti mole, Chiorzum
Sem magni iuſta premitur ditione. Feracem
Aſſur in Aſſyriam migrat. quò fata vocabant,
Vt Chale mox, Reſen, Niniuéque elata ſuperbis
Turribus aſtra petant. Inuadit ſceptrifer Elam
Perſidis & montes, & quod tranſcurrit Araxes
Pingue ſolum: Lydiæ Lut frana capeſſit; & Aram
Aſſerit arua ſibi Sacacena: piuſq́; potitur
Chaldææ regno, & doctis Arphaxat habenis,

Cham

Cham terras frenat, madidū quas claudit ad Auſtrū
Guinea nigra, niger Ceſal, Guagametra, Beninum
Botongas, nimiúmq; ferax Concrita venenis
Terra: Mare, Almiuna ſumens exordia monte,
Fluctibus Europam, & ſteriles quod diuidit Afros,
Finit ad Arctoos. Ad ſera cubilia ſolis,
Mandauga, & feſum, Leucinnaq; ſolis ad ortum
Perſidis Oceanus claudit, littúſq; rubellum:
Ac terris Rex ille ſuis ſuperadijcit ingens
Littore Erythreo, Lybaniq; coërcita monte.
Finitimáſq; domos Iordanis dulcibus vndis
Molitur Canan, peregrinæ gentis amicum
Hoſpitium quondam Iſraël: Libyamq; colonis
Phut replet: Aegyptum Meſrem: regit Aethiopes Chus.
Helleſpontiaca Iaphetus decurrit ab vnda,
Fluctibus Euxini maris, & Moeotidos, alta
In freta, quæ strictim Alcidæ inſerta columnis,
Hiſpanáſque vago ferientem verbere ripas
Oceanum: atque mari, volucris falcata biremis
Sufficiunt vbi plauſtra vices, ad turgida Patræ
Maſſiliæ & Genuæ, Tyrrhenáq; littora, ad arua
Aſia floridulis ſparſim fragrantia pratis,
Terrarum decus, atq; Heden certantia formæ:
Et tractus latos ab Amana ad fluminis ortus
Expoſitos volgæ, Tanaiſq; volumina prima
Et Gomero generis gaudent auctore, quot almo
Gallia belligeros gremio ſuſcepit alumnos:
Germaniq;, quibus Gomeritæ eſt nomen auitum:
Ac Tubale Hiſpanus gaudet genitore: Magogo
Egelidus Scytha: Moſocho, Maſaca: Medúſq;
Madaï : Thyra, Thraces; Gracúſq; Iauane.
Hic ego colligerem primorum nomina patrum
Singula, ſi ferret mens, & veſtigia ſectans
Suppoſiti veteris ſcelerata fraude Beroſi,
Et commenta hominum mendacibus indita libris,

Otia quæ cupidi & facilis lectoris ineſcant,
Huc ab auis vſque primis dare nomina regum
Per ſeriem, & varios mundi cantare colonos,
Atque vrbis minimæ fundamina voluere priſca
Audax ſuſciperem. Sed quid? temeraria primi
Non ego flaminibus venti dabo vela; nec aſtro
Auſpice: quod reliquos rutilum ſuperemicat orbes,
Haud feriam ignoti longinquum marmoris æquor,
Vndique quod ſaxis turget, Scylliſque profundis,
Naufragijs totidémque minax quot murmurat vndis:
Cùm vice naucleri conſcripta volumina tantùm,
Nominibus veniant Reges donantia fictis,
Scriptorumque ioci ſteriles, quibus vnica lex eſt
Gloria, ſcribendi quibus eſt ſeges ampla teredo.
Nec firmum præſtant columen confinia vocum
Quo ſuperædifices: namque æquora vaſta, ſuperbi
Culminibus montes, æternáque flumina crebrò
Nomina commutant: ab auis circumdata muro
Mœnia nec ſoboles tenet: hic dotalia nullus
Prædia perpetuum ſanguis ſibi ſeruat in æuum.
Conducta tellure ſeris; per mutua montes,
Syluáſque, aut certa retinet mercede colonus.
Ac velut Aeolio cùm feruet turbine Nereus,
Vnda vndam, fluctuſq; fluctum quatit impiger, omnes
Se trudunt populi, à populo detruditur alter,
Atque hic vix tecti conſedit limine victor
Cùm veniente nouo præceps victore fugatur.
Sic quondam veteres pulſi Albione Britanni
Armoricis Gallos excludunt vrbibus, vnde
Hactenus indigenas tractus dixere Britannos
Vaſtus vbi tumidam Ligeris deponit aquæ vim.
Sic Lingobardus quando arua binominis Iſtri
Deſerit, atque vltrò committit culmina rerum
Hunnis, quos decorat plagis numeroſa cicatrix,
Sedibus Inſubres populos natalibus arcet.

Quem

Quem dein edomuit noſtrorum gloria regum,
Eiectóſque olim maternis reddidit aruis.
Non ſecus Arctois quum defuit Hiſpalis, atque
Corduba Vandelicis, & Alanis, milite Gotho
Expellente, citi inuadunt Carthaginis vrbem:
Deinde ſub auſpiciis legum, iuriſque periti
Romanæ ſubeunt victricia tela catheruæ:
Romanaq; acies, Mauriq; exercitus, vſti
Hinc fugiunt, ceduntque Arabum potioribus armis.
Auri ſacra fames, regnandi dira cupido,
Vindictaq; ſitis, ventoſáque gloria palmæ,
Per cædes, flammas, populantia furta, ruinas,
Venturæ, ſpoliant ſignanti limite terras,
Martigenóſque cient mille in certamina ciues.
Scenitas taceo fures, Nomadumq; cohortes,
Et Scythicos hordas, qui paſcua læta ſecuti
Errant turmatim, & variis tentoria ponunt
Sparſa locis: quales velocis hirundinis atri
Fœtus, qui vario iuncti glomeramine, pontum
Remigio pennæ, Phœbus dum temperat annum,
Bis tranant, mutatq; domos clementis amici
Aëris. At populos, qui cum diſcrimine vitæ
Omnibus audaces moliti prælia terris,
Hic memoro, quibus vna fuit victoria cordi,
Magnanimíqueferam, ſpernentes otia dulcis
Aſtreæ, coluere Deam, gentéſque dederunt
Excidiis omnes; at non ditione tenere
Edocti, & cautè vallis quæſita tueri.
Sic Lingobardus Schonlandica rura relinquens,
Liuoniam inuadit, Rugilandi hinc occupat oras:
Vltus Agilmundi dein triſtia funera ſæuis
Bulgaris, audax Poloni ſceptra capeſſit.
Vlteriora petens flauentem tingit amœno
Cæſariem Rheno: remeans in littore ſidit]
Moraui; inde petit famoſa mœnia Budæ:

Mox Papiam volat ille celer, rigidiſq́; per annos
Bis centum premit imperijs, vndáq; nitentem
Ticinum Erydani ſinnoſis fluctibus æquat.
Sic freta deſertans glacialis Balthica Gothus
Viſtillo ſedet: ac nimiùm vicina relictis,
Queis ſtetit arua videns, victricibus obtinet armis
Sclauoniam, Daciam, Hungariam; gelidóſq; peteſſit
Hinc Thraces: Græcis imponens otia bellis
Prædæ auidus, quater Auſonijs decerpere tentat
Romulidis, quibus eſt genus alto à ſanguine Martis,
Emeritas domito lauros quas orbe reportant,
Mox Rhadagiſo, Alarico mox belli auſpice, moxq́;
Vidimaro, mox & dietrico pectore forti.
Hinc meat ad Francos, tandemq́; expulſus ab oris
Vaſconicis, petit Heſperiæ fœlicia rura.
Sic luſtrans radijs quæcunq; attingit Apollo
Gallorum gens priſca, vagis erroribus acta,
Italiam premit: illa furens populata labores
Romuleos, aut ipſa magis molimina duri
Martis, in Hungariam tranſit, rigidiq; iacentem
Vomere vertit humum victore, ad Strymonis amnem.
Aemoniam ruit excidijs, neque dextra pepercit
Prædatrix danaum diuis ingentibus, & iam
Pertæſa Europæ regimen, tranſcendit arenas
Helleſpontiacas, caſtratáq; Dindyma vaſtat:
Contemptæ Myſos fortis Piſidáſq; feroces
Edomat: inq́; Aſia Gallis noua Gallia ſurgit.
Quæ ſuperat nobis populorum obſcura vetuſtas
Nobilium, nemus eſt vbi cæca audacia paſſim
Cæſpitat, & ſtudium ſolers ſe ſe implicat: expers
Inſcitia æternas has luminis auſa tenebras
Incidit in puteos, foſſas fœdáſq; paludes.
Ergo mihi ſat erit veſtigia margine ſyluæ
Ducere, & attentas docti dare vocibus aures
Amramidæ, vt terras renouato carmine cantem

Sem,

Sem,Cam cum Iapheto fuſis repleſſe colonis:
Atque orbem curſu totum penetraſſe ſecundo
Lamechidæ ingentis iactatam fluctibus alnum.
Non quod ab Aſſirijs vno volet impete terris
Sem mage longinquas ſolis naſcentis ad oras
Tartari,& albentes Chorati demigret in vndas,
Chambalut & Chinam teneat,Cataiáq; rura:
Occupet Heſperiam Iaphetus:ſitientibus oris
Et Medri,& Bigam,& Cephaleis ſidat in aruis,
Culmina celſa petat Zambri , petat incitus Afri
Heſperionceras Cham regna extrema remoti.
Nam veluti primo non dulcis Hymettus ab anno
Hibláque non apibus denſis fuit oblita,at omni
Vere bis,aut fœtus ter mittens aluus ad vnam
Omnis,& in latera,inq; pedes ,& culmina,tandem
Vndique fauifluo ſtiparunt nectare rupes.
Aut velut irrigui ſurgentes vbere campi,
Limpida ſuauiloquis ambit quem lympha ſuſurris,
Fœcundis vlmos geminæ radicibus vlmi
Emittunt,ſempérq; nouo de germine germen
Pellitur,ac tonſo quod erat modò gramine pratum
Horret ab arboribus,ſyluáq; tenetur opaca:
Sic turma ædificans ventoſa mœnia turris,
Pinguia diffugiunt Euphratis littora circum,
Atque domos illic celebrant,fœlixq; propago
Mox aliudſuperat ſuperato flumine flumen,
Atq; alias,aliáſq; ferax terræ occupat oras
Quin niſi decrepiti decurtet tempora mundi
Sera Deus,nil tam dabitur ſylueſtre per orbem,
Quod patulis Adæ ramis non arbor inumbret.
Hinc Tigridi primis contermina rura ſub annis
Sola per ora virûm ſparſim celebrata vagantur,
Eximio ſplendore vigent,dant prælia prima
Et terras tumidus omnes moderantur habenis.
Florida purpureis quum dedita regibus orbis

Cuncta ſub imperio Babylon regina tenebat,
Nondum Graiugenæ donarant ciuibus vrbes:
Nec dum Dircæi blanda teſtudine muri
Compoſitis ſteterant ſaxis: caſtella Latinus
Nulla, domos nullas Gallus, tentoria nulla
Anglus, nec tuguri Hoſpitium Germanus habebat.
Cœtibus Angelicis ſoboles gaudebat Hebræa,
Horrebatq́ deis altaria condita fictis:
Nouerat Ignotum: quem non mortalis acumen
Luminis, hunc fidei ſpectabat lumine Regem.
Stellarum numerum, & cæli callebat hiatus:
Telluris denſa pernox vt ſydus ab vmbra
Occulitur, Phœboq́ ſuum dictymna nitorem
Eripit, arguta norat Chaldeus ab arte.
Quidnam animæ, celebrent qua ſydera lege choreas,
Quæ formæ ſtudioſa lauant in gurgite frontem
Æquoreo quoties renouat vaga lumina Titan
Gnarus erat, Phyſicúſque, bonúſque Geometra, vates
Memphios, Angelici cùm non ſua grammata noſſent.
Aurea ditabat Thebas ſplendore ſupellex
Artè faber Sicula ferrum quàm plangeret Aetna
Claudus; & ætherea de ſede Prometheus aſtu
Subductos, Danais docuiſſet in vrbibus ignes.
Noſtra inculta fuit tellus, & inhoſpita, mentis
Illa vel hoſpitibus duræ regnata, feroces
Qui ſimul intextas gererent pro tegmine plumas,
Corpora fraxineis inter conuiuia ramis
Subijcerent, auidique ſacro de robore glandem
Lapſuram peterent, Tyrij quando Afra coloni
Aequora tentarunt; Nerei commercia dorſo
Aggreſſi audaces: ſparſerunt murice veſtem,
Et volupe Euphratis ripa conſidit amœna.
Nam velut illapſus ſtagni torpentis in vndam
Calculus, orbiculum propiori in margine caſus
Circinat, & tremulo criſpóque, in marmore, pulſu

Ille

Ille ſuperficiem glomeratis orbibus implet
Donec ad extremas alliſerit vltimus oras.
A mundi centro (quod in vda gramine ripa
Conſtituo, qua prima dedit fundamina linguis)
Dum crementa capit, multiſque examina totum
Agminibus diffundit homo fœcundus in orbem,
Continuo donat doctrinas augmine, & artes
Expandit prudens in circumſtantia latè:
Atque vbi fulgentem ſplendens Hytanis arenam
Voluit, vbi Oroatis Carmanus, vbi alta Choaſpis
Flumine Suza ſuo lambens, vbi Caucaſus almis
Culmina demittit cliuis, regnatáque quondam
Arſacibus ſuppoſta premit ſola pinguia, ſidunt:
Medica rura colunt, & quæ circumflua ponto
Hircano rigidi diſcindunt vomeris ictu.
Progenies ibi nata, ſolum quod clara Chieſel
Vnda luit, Charas, Gadel, Chabul, & Thacaliſtan
Bedanumque, & Baleſtania rura peteſſit.
Deinde genus feruens neglectos obſerit agros
Biſnagaris, ſciſſas Gangetis flumine terras
Nayardáque: Auam, Tolomanum, Meinia regna,
Nectareique colit Charaſanum fertile moſchi,
Et cingit deſerta Opeos, quæ Lurida mille
Horrificant ſpectris homine, laruiſque laceſſunt.
Agminibus ſparſum variis poſt tempore multo,
Rhinocerote potens Typur, diuéſque Caichin
Citrinis alcos ſuccis, mangiq; boreum
Occupat: atque Aniæ, & Chinzu ſiſtuntur ab vnda.
Verſus ad occiduos tractus effuſa priore
Lamechidæ ſoboles centro, longinqua mineris
Armeniæ petit arua: ſedet tellure Ciliſſa:
Securus ſenſim ſuccedit portubus Iſſi,
Tarſiq; , & placidis per cymbala cantibus antro
Aëra Corycio mulcenti: culmina Tauri,
Cappadoces agros, Phrygiam, ripáſque Mæandri,

Ioniaq́; petit campos atque arua Bithyna.
Dein freta percurrens Seſti reſtinguit amœna
Illa ſitim Neſtiq́;, Hebriq́;, & Strimonis vnda:
Pinguibus in Rhodopes paſcit pecuaria pratis:
Arua colit, tumulo quæ proximus alluis Iſter.
Parte alia campos numeroſis Thraca Pelaſgos:
Italiam Græci: ſola Gallica replet Hetruſcus
Ciuibus: Heſperiam, ſinuoſáq; littora Rheni
Gallus, & arctoo ciet ordia prima Britanno:
Atque alia, pelagi circum nunc æquora magni,
Nunc ad Moldauos preſſans onus excutit agros;
Podalias, Serblas, Pruſſas nunc occupat oras,
Vltra ſyluanas, Vbras, Morauaſq́;, ſedétque
Viſtula qua latè, qua latè Rhenus inundat
Nunc age, flecte viam, rurſum.q́; Auſtrina reuolue:
Aſpice Chaldæam Phœnicum in rura vomentem,
Inq́; Palestinæ tractus, Arabumq́;, nepotes
Cham, qui fœcundis intra duo ciuibus aucti
Aequora in Aegyptum deſcendunt: prole Cyrenas
Inſpergunt alacres, & magni nominis oram
Quam freta ſpumigeris contundunt Punica lymphis:
Daram, Guſolum, Feſum, Galatam, Argeriúmque
Adenam, Tombut, Mellim, Gogdénq; Gargúmque
Terminan, horrentes Libyæ flagrantis eremos,
Zeczec, Cano, Guber, Borno, Nubiam, atq; Beninum,
Inſtabilesq́; colunt terræ ſitientis arenas
Quæ veneratur adhuc ter ſanctum nomen Ieſu,
Presbyteriq; ampla Ioannis ditione tenetur,
Multa licet Solymæ teneat qui dogmata gentis,
Concilij quædam ſeruat ſimulachra fidelis.
At ſi noſſe cupis quali regione viarum
Hac adoperta gelu, ardenti ſub imagine currus
Dulciflui plaga vaſta iacens, cui turbida rura
Oceani obliquam Chronici poſuere coronam,
Humanis inſtructa: putes poſt arua relicta

Bis

Bis quibus Euphrates Tigri ſociatur amico
Albentis ſtatuiſſe domos radice Niphati
Diuiſe ab Armenia, per Ibera, Albanaq; rura,
Colchicáq; & porrò fuſe ſediſſe per agros
Boſphorios: atque hinc roſeos orientis ad oras,
Quà tellus ſpatioſa patet, quam Tartarus ater
Incolit: adq; plagas quas ſcindit origine Volga,
Permia, Liuouia, & Moſca, & coluiſſe Biarma,
Ruſſia, Scrifinia, atque lacus terrena niuoſi.
At nouus hic orbis, quem nuper Iberia ſalſis
Fluctibus, in morem Deli iactata, ſepulchro
Eruit immemori, vaſto noua funere vita
Cui ſurgit, populos olim quo tramite, dices,
Admiſit? Si ſecla habuit per multa colonos,
Qui fit, vt extremas quando fœlicibus armis
Roma, Argos, Perſis gentes domuere ſuperbæ
Ne leuis aura quidem famæ penetrarit ad illas?
Siq; recens, crebris arctæ qui ciuibus vrbes?
Quaq; in eo ſuperant æui monumenta prioris,
Magna Semiramidis vincunt miracula, priſcas
Pyramides, Romana palatia, Mauſolæum?
Has ne putes hominum cœlo cecidiſſe cateruas,
Solis ad occaſum: quales è nubibus, auris
Effuſi tepidis in hiantia prata tenelli,
Exacta ardenti Bufones luce, per agros
Exin puluereos vario glomeramine feruent?
Aut teneras nitidi viſuros lumina ſolis,
Radice hærentes terræ laceraſſe fecundas,
Lac ſuccis habuiſſe Rheæ, cunabula in herbis
Aut fungi, rapi, blitti de more per vdum
Surrexiſſe ſolum inſtructoſq; vel omnibus armis
Irrepſiſſe almas formoſi in luminis auras,
Qualia Cadmeis ſurgebant artibus oſſa?
Segniùs Afrorum ſoboleuit America ſede;
Quin turrita, ſagax, legum ſtudioſaq; tellus,

Cui dedit Idæus laſciui nomen amoris,
Ac regio incipiens vbi frigidus exerit vndas
Boſphorus, auroræ croceo finita cubili,
Ocyùs aſsiduos olim cepere popellos,
Quòd picturatas ſpatio propiore relinquant
Pontifragi ex Heden deducti Tigridis oras,
Bude olim mœſtos fama eſt migraſſe Parentes,
Pullorúmque actos perdicis more per orbem,
Quàm noua terra cui generoſo rege Colombus
Auſpice, Caſtillæ panxit vexilla, fidémque.
At quæ ſtructuris ſupereſt opulentia, diues
Gaza, repugnantes leges, contraria iura,
Temporibus variis, vario quoque tramite, crebris
Teſtantur pridem donatas ciuibus vrbes:
Siue procelloſus deiecit ab æquore turbo
Littus in ignotum: ſeu peſtis, bella, faméſq;
Funeſta, huc populum cui ſpes non vlla ſalutis
Aduexere: Ducis magni ſeu fortibus auſis
Appulit occiduos elanguida claſſis ad Indos.
Quis neget audaces Aniani gurgitis olim
Quinſaij potuiſſe rates ſuperare profundum
Marmor, & Eois iter ad Tolguagia ab Indis
Moliri breuitate pari potuiſſe viarum,
Helleſpontiaco qua vectus ab æquore nauta
Aſiacus ſiccas Danaum contingit arenas;
Qua Tarteſſiacos defertur Iberus in agros:
Qua Mamertinus populos inuiſit Hetruſcos?
Illi & ab immenſis Tolmaq; & Quiuiri eremis,
Arietis hirſuti geſtant vbi vellera Tauri,
Hirta quibus iuba equi ritu, ſunt terga Cameli,
Agaſiam, Touam, Topirum, Mechium, Calicuzam,
Auacalum, Ceſsiam, Canadam, Baculúmq; Labúrq;
Cuius ab egelido concreſcunt æquora cœlo,
Arua colunt, aruiſq; ſedent vbi florida tellus.
Parte colunt alia Xaliſcum, Mechuacamq;

Et Cuſulam, ac dites fundant in Mexicæ aquai
Venetias ſtagnante lacu: mirantur honorem
Frondis ibi arboreos tactu deperdere ramos
Ilicet igniuomus terret tellure Veſeuus
Nicaraga: hinc, Panamæ poſtquam ditionibus Iſthmũ
Iunxere, Vcanamam, Caſſamalcamq́; Quitumq́;
Et Cuſcum, quà dextra iacet plaga condere cœptant
Quem celebris Peruana lacum, verè aurea tellus
Suſtinet inſignem, Collam qui proluit vnda,
Fronte cui gratus dulcore ſupernatat humor,
Et ſale reſtagnans conſternitur alueus acri,
Viſum mirantur Cincámq; potentibus vndis,
Quæ cœnum in ſilices, duretq́; in marmora cretam.
In Chilios tellure ſedent vbi murmure magno.
Perſtrepit vnda ruens præceps ſub luce diurna,
Nocturniſq́; tacens ſopita quieſcit in vmbris:
Inuadunt Chincam, & Patagonum rura: per oram,
Vnda Magellani quà cærula fluctuat alti:
Quaq́; ſiniſtra patet tellus Darienis amica
Margine funduntur: requiem per membra, labore
Hic dat Huo feſſis: in Vrabia rura faceſſunt,
Et circum Zenu ſidunt in Nerea voluens
Aurea grana pari glociens qua mole reponit
Oua auis: atq; noua, ſmaragdo radioſus vbi mons,
Granata: & denſa tenebranti lumina nocte
Littore Cumano: Cumano à littore denſi
Conſiſtunt Pariæ terris Omagu; Caripanæ,
Braſilia ad Maragnum ſaua, Plataq; patenti
Planitie, Nilus quam flumine pelluit alter.
Quin ego crediderim freta per Grotlandica Picnam
Et Laburis vaſtos Hibernico ab æquore campos,
Hoſpitibus donata nouis, vt Coryca margo
Per Terniminanum, Tombut, Mellimq́; feracem.
Orbe nihil, fateor quod non male ſana Cupido
Exuperet, dices montes rimarier altos,

Nereos

Nereos vndoſi ſudo pede currere fluctus,
Inuitaq; ſiti Scythicas tranſcendere arenas,
Afráſq; atq; Arabes: ſed non ſententia mente
Hæc ſedeat, quatuor thalamos quibus ortus ab vno,
Europæ, Libyæ, atque Aſiæ latiſſima clauſtra
Perrupiſſe, quibus ſit nunc anguſtior orbis:
Si tibi non cordi Vox eſt æterna profane,
Olim ſacrato quæ bis benedixit amori,
Nexibus obſtrictis quem vincla iugalia captant,
Impie nec credis quingenta ad millia quondam,
Septenas hominum decades de ſtirpe Tharidæ,
Ægypto centum quater increuiſſe ſub annis:
Tu ſaltem hoc memori primos cape mente Parentes
Non ſaturis pingui dulces lætamine terris
Accepiſſe dapes, auidæ nec ab arte coquinæ,
Vnde genus morbis, duri cecidiſſe nec armis
Vicini, torpore pigro caruiſſe, labore
Emeritos nullo ſolidas in corpore vires
Certa per annorum centena habuiſſe, potentes
Artibus Idaliæ Veneris canente ſenecta.
Præterea ſectis vulgata licentia primis
Vxores vni multas largita marito,
Ocyùs impleuit rectis animalibus orbem,
Atq; tot humanos Patriarcha eduxit ab vno.
Sic farris granum, & reditus ſi ſæpe feraci
Indis humo, æſtiui tandem tibi copia farris,
Horrea diſtendit, flauent tibi meſſibus agri.
Atq; lacus, geminos piſces ſi ponis in vnda,
Fœcundo paucis de ſemine ſurget in annis
Copia, perpetuas vrbi quæ ſuggerat eſcas.
Ruſticus hoc ipſo vetulus num cognitus æuo,
Cuius prolifico ſoboleuit corpore vicus
Cui centum luxere foci? conceſſa feraces
Natabus iunxit qui per connubia natos,
Nomina dans proli cui iam defecerat arbor?

Tercen

Tercentis minùs æſtiferam quis neſciat annis
Perpaucos Arabes Libyam repleſſe colonis,
Et Feſum Agerium, Tunas, Oranam, Bugiamq́,
Lege Mahumeti & Teſſum temeraſſe nefanda?
Si tantum potuere Afri, quos nocte dieq́,
Vellitat atra bilis, Veneriſq; cupidine crebra
Extimulans, non tam fœcunda prole parentes
Efficit, admiſſæ crebrò quod iniqua voluptas
Cyprigenæ, linquat malacas in ſemine vires:
Queis fera viſceribus ſtabulatur bruma ſub imis
Flammifer æternis vt Sirius ignibus ambit.
Quàm Cytherea ferax queis ſubdita matutino
Sunt iubari iuga, volue animis: nam tempore certo
Inter ſe, & veneris rarò certamina miſcent,
Semper & arcto vincat cùm bruma ſub aſtro
Corporis externum regerens in cœca calorem
Viſcera, confirmat potiori robore corpus.
Hinc Humi, Franci, Bulgari, Heruli atq; Sueui,
Burgundus, Cymber, Circaſſius, & Lithuanus,
Vindelici, Turcæ, Longbardi, Viſegothiq́,
Mormaniq́, ſuo mergentes milite mundum,
Locuſtis ſimiles tractus roſere ſuperbos:
Vixq́, acies magni geminas dimiſit ab aruis
Nominis Auſtrinus ſterilis, quas axe booto
Preſſa perhorruerit tellus: Crudelia quarum
Cœpta ſecuta prior luſci, quo bellica quondam
Carthago regina fuit, fuit auſpice ſerua:
Altera martelli marcullo attrita, Turonum
Incenſas atro vacuauit milite terras.
Quàm mirabilium diues natura creatrix,
Haud varij tantùm varia regione locorum,
Humores color, & vires, crinéſq; modúſq;
Corporis humani, ſed adhuc diſcrimina morum:
Siue quod in noſtram tandem conſuetio migret
Naturam; veterum ſe ſe primæua iuuentus

Aptet

Aptet ad exemplum, mutent ciuilia iura:
Aut cœli tacitas ſculpant in corpore vires.
Frons pulchra Arctoo, frons Auſtri fœda colono:
Ille albus, niger hic: hic debilis, ille valenti
Robore: criſpatis, craſsiſq; hic crinibus ille
Tenuibus: hic muſas, duros amat ille labores:
Hic calidus ſiccus, calidusq; atque humidus ille:
Hic ad lætitiam ſegnus: propenſus at ille:
Hic graciles, alter plenas dat gutture voces:
Hic eſt fucatus, ſed candidus ille: malignus
Hic, illi mitis morum clementia: & ille
Tardus, & hic agilis: conſtans ſententia nunquam
Hoc ſedet, ille tenax: hic ſobrius ille perennis
Potor: & hic parcus ſed prodigus ille: furentum
More lycanthropωn ſegrex per inhoſpita ſæpe
Hic errat; populo ſociabilis ille: ſuperbam
Hic veſtem gerit, ille grauis velatur amictu
Pelliceo: eſt natus Mars ille, hic natus Apollo.
At mediam, medijs qui ſedibus inſidet ille
Naturam obtinuit, validis, qui viribus anteat
Niliacis, at cui non tanta gratia mentis:
Trans Rhenum poſitos littuſq; binominis Iſtri
Ingenio contrà ſuperet, queis robore ſuppar.
Namq; rotundata ſacri clauſtri orbis in vrbe,
Quos iuuat eceſtaticis animam dare motibus, Afri,
Cœlorum certa repetita volumina lege
Metiri; & ſtolidum ſuperare per ardua vulgus,
Vatis in officium ſubeunt: poſitiq; boreis
Sedibus, extremos, quorum fugitiua recedit
In digitos anima, & qualis Salmoneus olim,
Qui iouis & ſonitus, imitari, & fulmina poſſunt,
Atque metalla ornant varijs & ligna figuris,
Artificis ſubeunt, & munera miluis inter
Quæ ſita gens illis, legum haud ignara capeſſit
Iudicis illa vices, populos qui iure coërcet

Denique

Denique primus amat formoſa dona Minerua,
Artibus ille valet, magna huic prudentia rerum.
Verum non paucis cum Phœbo Pallas ab annis,
Sicelides nymphæ, Themis & Cyllenia proles,
Haud minus egelida poſuere Lycaa ſub Arcto
Quàm ſtadium Bellona ſibi, ſibi mulciber Aetnam
Quin mirū! noſtris non-ne hæc diſcrimina ſurgunt
In populis, quibus hen! ceſpes vix contigit vnus
Et ſimul hic arcto viuunt glomeramine mixti?
1 *Gens venit Germana auro, quæ viuida bellis,*
Impatiens Gallus, prudens cunctator in armis
Heſperius, Latiúſque furit crudelis in hoſtes.
2 *Gallica conſiliis præceps, hiſpana doloſa eſt,*
Cunctatrix Germana, quibus gens Itala prudens.
3 *Tenuiter heſperius viuit, lautéq; Latinus,*
Regius in victu Gallus. Germanus agreſtis.
4 *Melleus eſt nobis, Hiſpano turgidus, aſper*
Teutonicis ſermo, Latijs grauitate ſeuerus.
5 *Rhenicolæ incompta eſt, concinnaq; veſtis Ibero,*
Inconſtans Gallo, veſtis regalis Hetruſco,
6 *Hoſtibus inſultant noſtri, blanditur amicè*
Italus, obladit Germanus, & odit Iberus.
7 *Eiulat Heſperius, Tyrrhenus balitat, at tu*
Alemane canens vlulas, cantamus at ipſi.
8 *More bouis Tuſcus, graditur Germanus alectri,*
Ludicer heſperio gradus eſt, tibi Galle volucris.
9 *Inuidet Hetruſcus, turget Germanus amator,*
Heſperiuſq; furit, lepide tu Galle iocaris.
Attamen Aeternus terras diſperſit in omnes
Humanos; vt ſaua luens contagia natis,
Quæ natale ſolum ſcelerata peſte ruebat,
Signa daret, quantùm larga indulgentia poſſit
Inclinare animas, non cogere ſydera noſtras;
Et quà ſe tellus extremo ſubtrahit orbe
Relligioſa cohors illi libamina laudum

Fundere

Funderet, egelidis Scythiaq; ſonaret ab aruis
Nomen inhorrentes Afri ſitientis ad oras,
Nec daret incaſſum quos florida terra feraci
Theſauros gremio trudit, viduata colonis:
Sed ſua miſcerent gemina commercia terræ
Quas fera veliuolæ diuiſit Thetios vnda.
Nam velut hac capitur, lata ſub mœnibus vrbis,
Regia parte domus: doctæ capiuntur ab illa
Parte ſcholæ: mercator ibi; fabrilia tractat
Hic opifex: illáq; implet regione tabernas
Calceus: hac ſponda eſt; capitis velamen in illa:
Illic thoraces, pelles ibi: Serica vicus.
Hic dat, & hic pannos: illicque nomaria, & illic
Artifices: nihil hic niſi permutatio, & omnes
Quodcunq; exercent vulgato venit ab vſu.
Sacchara ſic nobis mellita Canaria mittit,
Indus ebur, grato Syrius locupletat amomo,
Nobilis gens nobis Antarctica ſuggerit aurum:
Clara Damaſcenis alabaſtra petuntur ab oris:
Mittit Arabs ſua thura: ſuum mercator abundè
Dat crocon Hiſpanus, dat equos Germania; nigrum
Fert ebenum tellus Aegyptia, Balthicus ambar
Gurges, odoratas glacialis Ruſſia Martes,
Itala gens Seræ vellus, ſtannúmq; Britanni,
Terráq; nulla ſinu quæ diues ab vbere, gazas
Immenſam varias mundi non portet in arcam.
Vtq; pharetratæ regina Dioſpolis olim
Hunc ſibi dicebat pallam, ſibi cyclada tractum,
Armillas alium: pedis hunc, hunc tegmina colli,
Hoc opis eſt noſtræ. Quis enim tam tetricus orbe
Mons, vbi tam triſtis plaga, tam diffuſus eremus,
Támq; ferox vbi marmor, vbi tam ſegnis ab oris
Ad Geticas cenſus Afris datur ora recuſans;
Aut hominum impatiens fœlicem reſurgere vitam,
Annua de gremio quæ non det prœmia largo?
Quas

Quas ſcindunt queruli vitreo curuamine riui,
Hortos dant valles,quibus arida gramina noſtras
Bis,térq; admittunt falces æſtate ſub vna:
Aequora flaua Ceres,colléſq; inuectit Iacchus:
Aetherei mentes quibus ad conuexa polorum
Itur,vbi ſeges eſt hyemum,ſedéſq; tonitrus
Fabrilis,terra maculas quos dicis iniquo
Nomine,& hoſtilem,furor!ô furor impie! credis
Efformaſſe Deum,aut volucrem Rhamnuſidis æſtum,
Imperia æterno contermina limite donant:
Vndique luxuriant ſyluis:nauéſque doméſque
Hinc ſtruis, Aeoliæ fugiens mala frigida brumæ.
Iugiter altrices vectoria flumina vaſtis
Educunt latebris,quorum caligine gliſcit
Terra,volubilibus piſtrina rotantur ab vndis:
Siſtuntur vallis his ſæpe minacia bella,
Et medias liquido nectunt cum marmore terras.
Quæ pauidus deſerta horres,& inhoſpita teſca,
Sunt tibi fœcundis totidem pecuaria pratis,
Vnde tibi carnes,pelles,& copia lanæ,
Vnde tibi patiens accedit taurus aratri.
Quin ferus expanſa,qui terras occulit vnda,
Hordea ni premeret flauenti crine daturas,
Oceanus,ſexcenta vago fouet agmina fluctu
Exhibitura cibos,ſine quo fame plurima triſti
Mœnia languerent,ſicco ſub littore qualis.
Semianimis Delphin remeante relictus ab æſtu.
Ire in longinquas dat per compendia terras,
Ditia ad ignotas auget commercia gentes,
Egelido imbriferas emittit in aëra nubes
Gurgite,triticeos quæ donent augmine culmos.
Aſt ego ſemper agar ventis ludibria?me ne
Iugiter inſano percellet turbine Nereus?
Nec fumos Ithacæ rurſus ſpectabo relictæ?
Vnda ſubit nauim,laſſatáque brachia remis

Deſi

Deficiunt: perij, perij, ni littus amicum
Naufragij tabulata mei laniata recipiet
Ocyùs: hem video te Gallia: porrigis vlnas
Tu mihi, tu gremium pandis mihi, charáq; mater
Orbe peregrino non vis caneſcere fœtum:
Braſiliamq́; meo haud pateris turgere ſepulchro,
Nomine Cataium, Peruanáq; carmine rara,
Tu mihi quæ cunas, eadem ceſſura ſepulchrum.
O fœlix, iterum ô fœlix, ô terq;, quatérq;
Terra ferax, gemma Europæ, telluris & Heden
Francia, quam mittis gratus tibi reddo ſalutem.
O fortis turmæ mater quæ Euphratis ad vndas
Clara triumphales ſtatuit poſt prælia lauros,
Et victrix gladios vbi ſol ſurgitq; caditq;
Sanguine cæſorum tinxit: lectiſsima mille
Artificum genitrix, operum qui mira labore
Diuitis illudunt natura dona, tot aluo
Enixa alma parens animas, quæ Memphios oras,
Argóſque & placidis Romam exhauſere camœnis,
Inter Apollineos tantùm ſplendore coruſcæ,
Quantùm fulua inter pallentia Phœbus in aſtris
Et flos Phœbæus flores ſuperemicat omnes,
Oceanos referunt tua flumina: mœnibus vrbes
Surgentes tumidis, ciuili more ſuperbæ
Aequãt regna: ſolum tibi fertile, clima benignum
Dant gemini montes, tutúmq; tot æquora vallum:
Non tua diuexat Crocodilus littora: pictus
Qui tellure tua ſerpens; duo iugera nunquam
Emenſus ſegnis delumbi corpore reptat:
Alipedéſq; tuis nunquam graſſantur in antris
Tigrides: exercet nullas genus acre leonum
Deſertis cædes flagrantibus, atq; Caballi
Aequoris æquoreo non dant dilecta ſepulchro
Corpora natorum. Quin ſi tua flumina fulgens
Non voluant aurum, nec ab altis montibus album

Effluat

Effluat argentum, nec ſit tibi copia diues
Gemmarum: tua lina, ſales, tua vellera, glaſtum,
Et vina, & ſegetes penſant quæ dona fodinis,
Reginam vt totus meritò te prædicet orbis.
Pax tibi ſola deeſt. Tu qui nos ſemper aperto
Aſpicis ore Deus, queis Gallia flagrat amici
Stingue fauoris aqua flammas. fera nubila noſtro
Pelle polo: iuſtis pharetra quæ motus ab iris
Depromſti, tua conde Pater, tua tela reconde.

GVIL. SALVSTII

HEBDOMAS SECVNDA

DIEI II. LIBER IIII. SEV COLVMNAE.

SI flammis vnquam melior cœleſtibus arſit
Pars animæ, Deus, atque tua mihi percita mente
Mens tibi conſtituit, Gallis venerabile carmen:
O lucis Pater, ô Doctrinæ dulcis origo
Tempus adeſt, vel erit nunquam. quo numinis œſtro
Mens agitata tui, ſublimis in ætheris orbes
Euolet, & priſcis ſubeat ſacra cura receſſis.
Tempus adeſt quo me rutili per climata cœli
Humanis vacuum iactes affectibus, & quo
Vraniam amplexu preſſem, doctáſque ſorores.
Syderei placidus cernam laquearia templi,
Syrenúmque poli ſaturer dulcedine cantus,
Vt quo primæuos olim ſermone parentes
Qua lege effuſos, docuiſti, ſydera curſus
Suſcipiunt, aſtris formoſa mole coruſcis
Reſpondens, parili dictes mihi munere carmen.
Ecce vbi diſcordi ventoſa ſuperbia faſtu
Diuiſit populos, ac tanquam ſorte futura
Regna ſibi legere, via Phalegus, Hebérque
Offendunt pilam quæ talis in æquore ſurgit
Gramineo, qualis medio ſtans marmore rupes,
Quæ Thetios victrix immiſſa volumina frangens,
Fronte minax celſa, molles qui temperat vndas
Credatur terrere Deum: quæ luce, pharóque

Impedit

Impedit inſ.gr:is ne fluctibus Amphitrite
Cocyti piceas diet nos ſtagnantis in vndas.
Altera materie minor, ac minor omine, ſed par
Occurrit vaſto decumbens corpore pila,
Senta ſitu, tegulis temere conflata rubellis
Cùm prior Eoa conſtaret Iaſpiàc, magnas
Per leucoſticto quadras cum marmore texta.
Quàm maſſę ingentes! heus quę miracula! quanta
Arte laborati montes! quę monſtra? Coloſſi
Quales! Quę ſuperant aui monumenta prioris
Hic, quibus obſtupeo? Tu qui cognoſcis ad vnguem
Secula auita, patri dixit Phalegus amato,
Oro doce venerande parens, quis Dędalus olim
Struxit opus geminum, quales, quo tempore, in vſus
Tum reſpondet Heber. Pius ac vigil ille Parentis.
Seth primi auditor, magnúſque auditor Olympi
Rectoris numerum, molémque locóſque viáſque
Flammarum quibus ęthra micat, ſedéſque beatę
Edocet edoctus natos, natíque viriles
Conſtanti eximiam ſtudio vertuntur ad artem.
Namque ſub herboſis paſcentes agmina ripis,
Quas feriunt viuo radiantis murmure lymphę
Leucothoës, quando reliqui dulcore ſoporat
Somnus in humanis curas ſub nocte ſilenti,
Et ter longęuę ſuperantes Cornicis ęuum
Sic ſeruant rutili ſplendentia ſydera cœli,
Vt tandem diues donent fundamen auitum
Diuite ſtructura. Semel & fluuialibus vndis,
Et ſemel Aeternum moliri vindice flamma
Exitium docti (dederat ſic cabala) terris,
Sublimi geminas attollunt augmine moles,
Molibus & fidis myſteria mille reponunt
Ardua, venturos olim doctura nepotes.
Sic ait. Arguta limen non ſenſile dextra,
Marmoeris referat quadris Heber: inuenit illic,

Aeterna

Aeterna æternis paſcentem lumina ſuccis
Phalego preſſante retrò veſtigia, lychnum.
Ac velut admiſſus tandem in regalia tecta
Plebeius, quem ſæpè minax ad limina cuſtos
Expulit antè, leues oculos per ſingula voluit,
Miratur luxus varios, gazamq́; potentem;
Sic ſtupet, ac Phalegus ait. Quæ forma figurat,
Et par artis honos, vt non magis omnia guttam
Gutta vnda referat, quorum ſimulachra doceto
Iſta parens: dic arma quibus precincta reclude
Oro parens, quæ docta in ſe myſteria condant.
Tumq; Heber. En nymphis quatuor cœleſtis origo,
Quæ ſuperent formæ meliori dote ſorores
Quaſcunq; è gemina genuit mens edita mente
Aeterna, aut animus potuit comprendere noſter.
Quam ſine fine putes linguamq; agitare, manúſq;
Quæq; ſuos tollit numeros ponítque ligátque
Mille modis: audax cœlorum computat ignes,
Enumerat brumæ glacies induſtria virgo,
Sertáq; vernicomis ſparſim fragrantia pratis
Regifico nitidum formæ decus auget amictu;
Cingitur argenti multo glomeramine; denſo
In caput aurati funduntur ab æthere nimbi:
Fuſa toga eſt: læuis ſpeculi vice, picta tabella
Dependet cinctu, quæ ſuſtinet artis honorem;
Et dedit inuitis noſtro ſua dogmata ſeclis.
Cerne characteris formam quo traditur vnum
Quod numeros omnes gignit ſine fine, coronat
Harmonicas voces & Amoris vera Voluptas
Omniparens quod docta ſibi Polymneia finem
Eligit: haud numerus, numero præſtantius, in ſe
Claudere cuncta potens cunctis includitur actu.
Aſpice quæ Geminum deſignet littera, primam
Vnius ſobolem numeris exordia dantem
Fœmineis. Nota quæ Trino qui maximus ortu

Surgit in imparibus: quem Rex ſibi vendicat orbis,
Qui numero haud numerum ſociali nectit amore,
Cuius ab extremis parili diſcrimine centum.
Diſcedit geminis: & cui largitus amorem
Dat primo finémque Deus, mediumq́; capútque.
Sit qualis Quarto, qui dat fundamina Cubo,
Atque Decem plenus proprijs cum partibus implet,
Quique Dei nomen, Virtutes, corpora prima,
Tempora, & humores, ſparſóſque per aëra ventos
Annumerat. Notet Androgynum quæ littera Quinum
Cui cum diſparibus ſi quando eſt copula membris,
Perpetuò prima ſpecie ſe iactitat audax:
Nam vicibus quinis quina ingeminata creabunt
Quinque & viginti, quintus, decimúſque parabit
Quina ter. Et numeris cuius concordia Sexto
Perfecta eſt, mediam concedant cui Tria partem,
Cui ſexta ex vno, pars tertia nata duobus,
Fiat & adiunctus vno Geminíſque, Tribúſque.
Quæ nota Septeno, qui mas & fœmina: fœlix
Qui tria cum quatuor critica compagine claudit,
Supputat ignifero palantia ſydera cœlo,
Et quam compoſito ſubijt Deus orbe quietem.
Quæ gemino innixum deſignet littera quadro
Octoiugem. Enneada, amplexam ter terna ſororum
Nomina Sicelidum. Decadem, quæ vincula cunctis
Dat numeris: ex qua ſit linea, ſicut ab vno
Fit punctum: corpus ſolidum de mille: figura
Naſcitur è centum. Decadem quæ ingentis arenam
Ingeminata maris numerat, Garamantis & Auſtri
Flamine commotos fluctus in gurgite vaſto.
Aſpice vt hic ſummam ſummæ coguntur in vnam
Magnus in exiguum numerus demigrat, & antè
Paruus ab adiunctis finem vix repperit vllum
Diuerſas ſummæ in partes abſciſſa remigrat.
Quam tumido cernis dorſi curuamine nympham,

Cernis & inculta ſqualentem fronte, ſoloq́;
Lumina defixam, ſolertis acumine virga
Multigenas: ſicca formas quæ pingit arena:
Palla cui virgata vndat torrentibus, auri
Picturata nitet rutilo ſub tegmine, florum
Arridet varijs illuſa coloribus & quam
Intertexta ornant arbuſcula frondis honore:
Cuius ab æquoreis criſpatur fimbria lymphis,
Quam luſtraſſe recens ſitientia climata, & oras
Egelidas ſciſſura notat, ſqualorq́; cothurni:
Hæc Geometria eſt, doctis regit artibus artes,
Symmetriæ primæua parens hæc organa doctè
Cillet in effectus varios, firmiſſima lex eſt
Legis inextinctæ vaſtum, quæ condidit orbem.
Nil niſi menſuras, nihil hic niſi cerno figuras,
Pondera, vel normas, vel perpendicula: & olim
Quàm bene ducta vides hic tramite linea recto
Bellicus hic docta contexitur arte trianglus:
Ædificans quadranglus adeſt, ac mille figuræ
Diuerſas nactæ ſpecies hic pluribus anglis,
Qui recti, teretes, vel acuti. Cernis obliquo
Vſq; viam flexu carpentem: Dædala qualis
Hic cochleaſanguinei ſinuoſa volumina qualis
Affectans gyri: nec non cui gloria palmæ
Contigit à doctis, ſpatio qui circulus orbem
Æquali, à medio ſe iunxerit vndique centro.
Præterea hic ſolidas oculis metire figuras,
Pyramides, Cubos, oblonga mole Cylindros,
Dodecthedróſque. Globum, qui totius exhibet orbis
Effigiem, mirare, cui non ora nec vllum
Eſt medium, fratrúmque decor hanc depolit artem,
Qui ſibi totus ineſt, quem propria meta coërcet,
Qui diuerſa capit mirus miracula rerum;
Mobilis immotus, cauus & conuexus obliquat
Ille ſuperficiem, & recto componitur idem:

Vixq;

Vixq; iter incipiens gra- ditur ſurſúmq; deorſumq́;
Antè, retróque ſimul, vicináque corpora motu
Concitat, hic cœlos, & ſydera conſcia teſtor:
Quod mirere magis tranquilla per otia nutat
Vndique: nam puncti fundamine nititur vno,
Vndique parte ſui media decliuis; at ille
Qui globus in liquido ſuſpenditur aëre, firmans
Sedibus humanos, ſtat nullo mobilis æuo:
Donat enim centro concentrica corpora, quem non
Proiectura premit non extrà comprimit anglus;
Cætera non ſtabili varias dant fronte figuras
Corpora: parte globus ſimili ſibi conſtat ab omni
Ac velut Oxygona non tot capiuntur ab æde,
Quod capit Amblygonus diducta corpora capſa,
Sic longè reliquis includit plura figuris
Omnibus, obtuſo ſinuoſus circulus orbe.
Corpora, queis plexus, finis, nexúſque capútque,
Scabra ſuperficies, facilè colliſa fatiſcunt;
At nec acumen ineſt orbi, iunctura nec anglus.
Huc autem Phalege oculos chariſſime mentis
Intende, atque duo myſteria percipe paucis
Cognita, & implicitos centum per vincula nodos,
Semina inexhauſta queis ſint crudelia curæ,
Vt datur in circlo quadrum, vt geminatio cubo:
Æternúmque animis magis aëre tenacibus ipſo
Quas dedit innumeras fidi indulgentia ſenſus,
Non tenuis ratio, non diſceptatio, normas
Accipe, & ancipiti doctrinam lite carentem,
Plurima quæ toti pariet miracula mundo.
Illius auſpicio fontana ab origine riuus
Inque vicem molitoris erit leuis aura fauoni,
Almaq; ſub rigidi meſsis contuſa rotatus
Impete, quod domina debet perſoluet auaræ:
Illius auſpicio globus eructatus ab ære
Belligero, rupes reboanti conteret ictu.

Terrificè tundet crepitans hoſtilia caſtra,
Horrificúmque ſonans rutilantia fulmina temnet.
Illius auſpiciò tuti per flamina venti
Ibit ad occiduos Eoo à littore fluctus,
Ibit & ad Libycas Thules à littore lymphas,
Mole abiegna domus mira quam dixeris vrbem,
Exiguóque ſedens propellet nauita vecte:
Luce libros vna plures chalcographus edet
Quàm celer arte labor calamis de mille petitus.
Inq; vicem numero vectoria tympana paruo
Multorum venient hominum:menſoribus vnus
Aligeris radius præcellet mille,figuras
Aſſignans denas quater,& cœleſtibus octo
Orbibus:inq; ſecans Zonas & climata terram.
Diuidet vnda diem,puluis ſtylus,& rota partes
In ſenas quater:humanos deludet imago
Lignea ſermones:ſphæráque tenebitur orbis.
Dædalus audaci pontum per inania vectus
Traijciet penna:quin ſe ſi ſiſtere mundo
Archimedes alio componens organa poſſet,
Altera,nec dubium,ſedes contingeret orbi.
His iter à geminis quando reſeratur in arcam
Artibus,Aſtræans vbi pendula lumina,terſo
Inſignémque auro Zonam,rubróque micantes
Lumine Sardonichas,Saphyros,& margara nobis
Exhibet Vraniæ:cum ſciſſa cacumina montis
Scandere,ſydereum pulſantis fronte lacunar,
Hac ope,& his tantùm liceat vectoribus alis,
Ac fruſtrà ſcrutentur opus mirabile cœli
His quibus è geminis oculus non contigit alter,
Sculptor imaginibus prudens adiungere primis
Pandentem voluit ſtellata palatia nympham,
Cui falcata vicem rutili Diadematis implet
Luna;tegit talos aurato crine cometes
Flammeus à ſummo demiſſus vertice:bini
Sufficiunt

Sufficiunt oculos Lychnites cærula veſtit
Palla, humero pallam connectit fibula vtroq;
Clara, damaſcenus circumtegit axis, in axe
Sydera cæruleo, & depicta animalia ſurgunt:
Et quibus orbiculis maculoſa luce coruſcis
Picta ſuperbis auis, nitidas ſibi texuit alas.
Aſt agè, quos manibus tendit lectiſſima paſsis
Pictos nympha globos? inquit Phalegus: Heberq;
Ille decuſſatis qui texitur orbibus orbis
Eſt mundi globus: hoc terreſtris poſsidet imum
Sphæra locum, tanquam vile illius excrementum,
Vilis amurca velut, quàm cinctu prouida circùm
Cæruleo obliquè texit, natura, vel ipſa
Oceani potiùs circumpremit vndique lympha,
Linquat vt intactas tantùm nullo ordine partes
Exiguas; namq; antra ſubit terreſtria pontus,
Ponderis & centrum, non molis quærit in orbe,
Quem flexu per humum latè contorſit iniquo.
Hic aër, ignis, ſeptem Palantibus orbes
Addicti, varijs laquearia lucida bracteis:
Mobile quod reliquis dominum ſedéſq; beatæ
Si pictura daret ſuper hic ſibi fuſa iacerent:
Aſt efficta globo doctus dedit iſta cauato
Structor; vt in ſuperas facili nos tramite ſedes
Duceret, inq; vicem illorum, cœli infima denos
Cingentes pulchro poſuit velamine circlos.
E ſenis, magniſq; globum ſcindentibus æquas
Aduerſè in geminas propanſo circite partes,
A geminis parili Aequator diſcrimine diſtat
Cardinibus, quibus hæc moles ſubnixa recumbit
Sydus ei quodcunque ſubeſt id tramite longo
Carpit iter præceps, & curſibus aſtra citatis
Exuperat, cœlo quæcunque affixa coruſcant,
Quoq; polis propius, dia teſtudinis ictu
Mellit inexhauſtos curſus; noctemq; diemq;,

Dum ſub eo bigis Phœbus cita frana reſoluit,
Aequatis toto vicibus diſcriminat orbe.
Subiacet obliquus,qui poſſidet axibus axes
A mundi per bis graduum duodena remotas,
Qui data cœlorum eſt Erronibus orbita tadis,
Zodiacus:reuocat nobis quo Cinthius annos,
Biſq; duo,ſedes commutans,tempora voluit.
Tertius ille polos mundi qui permeat,& quos
Phœbus habet circlo terras quo circuit, anglos
Efficiens rectos,illic vertigine toſtum
Qui Cancrum,atque illic Capricornum ſydera ſcindit,
Fertur Apollineos curſus tardare,Colurus.
Namque pigros illi greſſus dat lucis origo
Cùm ſubit inciſus:medium qui deſerat orbem
Tum ſphara,inque latus contracta volumina ſeruet.
Qui cum floricomo ſpatijs hunc diuidit aquis
Ariete,cúmque polis,libráque,Colurus is alter.
Hic media lucis ſe ſiſtere circlus eodem
Haud potis in puncto,ſua dat veſtigia noſtro
Zenit,vt intuitus varios ſectatur Horizon:
Ac ſuperant ſtricta quatuor compagine ducti
En Tropicus bruma riget hic;hic torridus alter,
Aurataq; polis ſphara vicinior.Illic
Parrhaſij Borea,flagrans ibi circulus Auſtri,
Qui non traijciunt,oculo vel iudice,firmum
Id vaſto punctum,quod ſtans immobile mundo
Dat centrum:ſed membra globum per iniqua ſecantes
Et ſpatijs à ſe paribus,medióque recedunt.
Quem lana gerit illa manu complectitur orbis
Effigiem cœli,ac quamuis diſtrimine magno
Naturam referat,quod opus manauit ab arte,
Hic tamen ingentes anima decus admirantur
Quod largè igniferi capiunt laquearia cœli.
Quàm volupe aurata ſenſim compendia ſedis
Voluenti,aſtriferas tumido ſpectare cohortes

Ordine continuas:hic arcum,tela,pharetram:
Hic gladium gerit:hic haſtam:cadit ille;rotatur
Ille ſedens plauſtro per ahenea cærulea cœli:
Hic pedes eſt:eques hic : hic eſt à fronte,retróq; hic
Hic ſuper, hic ſubter:manet ordo ſub ordine nullo.
Concordi vacuum grauidant certamine pontum,
Et ſteriles implent fœcundo germine terras:
Cùm modò quos lenes iactant,modò cerno ſeueros
Sextiles in ſe,quadranglos, atque triangles
Aſpectus,venit ante oculos,quam ruſtica prato
Turma ſalax agitat choream ſaltatibus,in quo
Plaudit vterque canens ſexus,voluuntur & vnam
In reſtim : ſaltus iungunt , ſequiturq́; pedem pes:
Ille Dionæos in amata virginis ora
Proijcit obtutus ; memori petit ille ſagitta:
At Phalegus ait,Rerum pulcherrimus author
Cur decus eximium formæ terreſtribus addens,
Cæruleo ſculpſit ſupremæ fornicis,in quo
Debuit ipſe typus formæ,& concordia iungi.
Tot monſtra,atque animis horrenda animalia diris,
Cocyti mage digna domo,Stygiaq; palude?
Tumq; Heber.Haud dubium,diuinæ induſtria doctis
Artibus,& iuſta prudens agit omnia norma:
Quin formæ hic inſignis honos qui contigit orbi,
Auctior à varijs cœlóq; ſolóque figuris.
Aetas præterea patrum diſcrimina cœli
Dans faculis,fecit mage commoda nomina miros
Effectus genium,& tacitas narrantia vires.
Quod bifida metas annorum verberat aſtrum
Fronte,cui rutilo veſtis criſpatur ab auro,
Hoc Aries dixit.Tepido nam fœta calore
Terra ſub illius,florum veſtitur odoro
Vellere.Ponè ſequens,Taurus:quòd Taurus aratrum
Tunc ſubit , & rigidis duras ſulcare nouales
Paſſibus exigitur, glebáque renidet aduncus

Vomer ab inuerſa, & fumant ſub vomere Tauri.
Hoc ſubiens, Gemini: quod quadra Cupidinis edas
Maſcula fœmineis coniungens corpora, corpus
Perfectum, gemina ſurgant è caſpite fruges,
Et largas det humus cum flore & ſemine meſſes.
Ac quartum Cancri donauit nomine: nam tum
Retrogrado fertur curſu, ductimq́ recedit
Phœbus ad Auſtrales populos, ac rurſus eandem
Ille petit metam, meta eſt cui nulla laborum.
Quod ſequitur, ſydus meritò dixere Leonem:
Nam velut illius lethaliter halitus vrit,
Flaua ſub ardentis ſcintillas ſyderis æſtu
Meſſis, & in lymphas ignes crinitus Apollo,
Impatiens pauſæ, vibrat. Dein nomine Virgo
Inſequitur ſydus: namq́ auerſatur amicos
Queis flagrat, Phœbi intuitus hoc terra ſub aſtro,
Et fœtus gremio protrudit ab vbere nullos.
Libra ſubit: namq́ illa dies & tempora noctis
Frigoráq; atque æſtus examine pendit, & æquo
Pondere viniferum ſtant lux, tenebræq́ per aſtrum.
Scorpius hoc primò quia tum fera frigora mordent.
Qui niue, & egelida glacie pennata ſeuerus,
In nemora, in turres, in marcida gramina, vibrat
Tela diu noctúq; ſuo de nomine fertur
Arcitenens. Hœdúſq́ aliud: nam tollere pernix
Corpus vt in rupes à rupibus aſſolet hœdus,
Sublimes repetit curſus, nobiſq́ propinquat
Auricomum ſydus, cœleſtis gloria turmæ.
Quodque ſub extremis ſemper lachrymare putentur
Syderibus cœli, depictus Aquarius olim
Eſt ab auis liquidas qui fundat ab æthere lymphas,
Cuius & affuſa Piſces inıtentur in vnda.
Quin Phalege animo ſi quid cupis amplius vltrà,
Dixero: ceu nihilum fœcunda voce priuſquam
Et fieret matrix, totius & embryo mundi:

Tanta molis opus, ſpecies, ſimulachra futuri,
Aeternumq́; animo rerum paradigma, ſupremi
Diuina artificis ratione habitauit, & orbis
Quàm fuit, ante fuit: ſic lucida vela coruſci
Pandentem cœli, Aeternum repleſſe figuris,
Et veluti picta poſuiſſe futura tabella.
Nunquid adeſt fluuij flauentis imago, lacunar
Cæruleum torto ſulcantis flumine? Coruus
Hic volat; hic læta ludit Iouis aliger ala:
Hic nant delphines: nant hic immania Ceta:
Hic ſalit acer Equus: leuis hic fugit Hædus: acerb⁹
Hic fumat Taurus: micat hic Draco, deniq; terra
Nil habet, ipſa nihil penetralibus vnda coërcet
Eximium, cuius non ſit typus æthere picto:
Spiculáque & Libra ducunt ab origine ſacra
Exortus, quorum ſemper manſura locari
Aeternus cœli voluit proplaſmata libris.
At ſi certè auſim (quid ego tamẽ ipſe nec auſim,
Vt pius impuros thalamos, dementia bella, (raſq;
Furta nefanda, iocos, tot inania monſtra, Chime-
Eripiã cœlis, queis quondam turba Pelaſga
Inceſtare procax cœli tentabit honorem)
His ſub imaginibus dextra conſcripta docebo
Omnipotente Dei, ſacra myſteria turmæ:
Nec niſi cryſtallum hoc, ſecli quo fata legantur
Venturi, & publicis monumenta recondita libris:
Geſtáq; fatidicè ſacri dantem ordine nullo
Concilij chartam, cuius fiducia verbis.
O qui veridicum currus radioſe prophetam Plauſtrum
Turbinis in morem raptas, non abſidis oram
Amplius, Arctoum qui circumuolueris orbem,
Mergis aquas; nec equos volucres caligine denſa,
Quæ demiſſa tenet mundi primordia, ſiſtis.
Interea ingenti flagrans pietatis amore, Bootes.
Obtutu tenet ora, oculos te fixus in vno;

Atq; auet efflictim, ſtimulis accendere cœptos
In curſus Eliſeus equos: & vertice montis
Aſtriferi, anguſto fumantes flectere gyro
[Her- *Ad latus hic, dextraq; iubam vincente leonis*
cules. *Flammiferam geſtat Dauid: hic aurata corona*
Lyra. *Illius: hic cythara; hic quẽ vulnere fregit acerbo*
Vrſa. *Ditior aſtra gerens vrſus ſeptena ſuperbit.*
mi- nor. *Hic Acherontæis Solymæ quam percitus iris*
Sagit *Rex in eum vento torquet ſtridente ſagittam.*
ta. *O typus, ô caſti Suzanna pudoris imago,*
An- *O decoris decus æternum, timor oſſa ſubiret*
dro- *Egelidus, dum te adſpicio: tua vincla, tuáſq;*
mede *Deflerẽ lachrymas, animũq; haud digna ferẽtem*
Nec minor ira meũ quã qua coquit ira parentum
Caſ- *Cor coqueret: iunctáſq; tuo cum ſanguine palmas,*
ſiope *Humentéſq; oculos ad ſydera tollere mœſtus*
Ce- *Inciperem, niſi quam Daniel tibi ſedulus adfert*
phe9. *Artis opem magnæ, magnæ pietatis, in uſtam*
Per- *Elueret labem, & morti raptaret acerbæ:*
ſcus. *Atque per inſolitam lucem, radióſq; potentes*
Non à Gorgonea venientes Rhorcide; ab vno
Me- *Immiſſos vero teſtes pro crimine, miſſis*
duſæ *Obrueret ſaxis: nam quanta grandine nimbi*
caput *Præcipitant, capiti lapidum ſeges ingruit ingens:*
Dumq; refixa vago voluentur lumina cœlo,
Dra- *Hoc ſacra nobis ſuperabit luce trophæum,*
co. *Et draco quem cultu gens eſt venerata profano:*
Impia, quem vinclis vates includit Hebræis.
Pega *Pegaſus, aërio radiantibus orbe, priuſquam*
ſus. *Aſius armato Solymam ſibi milite ſubdat,*
Arcto *Eſt æquandus Equis. Ardens auriga, propheta*
phy- *Qui regit Iſacidum docto moderamine currum.*
lax. *Ille nitens niueo Cycnus candore, ferenti*
Cyc- *Martyrium, & diram mortẽ pro morte magiſtri,*
nus. *Martyrij ſacro cui debita palma miniſtro,*

Atque

Atque dat ante obitum dulci modulamine cãtus
Lucidus hic piſcis, piſci collyria Tobit Piſcis
Illinenti oculis. Delphinus olympicus, illi bo-
Amramidæ magno, Iſacidæ qui per mare piſces realis
Ducit Erythræum; & fugiens ſine puppibus, Del-
aruis phin.
Tradit Idumæis intactum fluctibus agmen.
Quid maiora canam? Deus haud ſua nomina
tantum
Orbis librato rapidi conſcripſit in ære, Triã-
Ac triplicem triplici naturam pinxit in gulus
anglo: Ophi
En iuuenẽ, manibus toruũ qui præfocat anguem: neus.
Ille Theanthropi, Satanæ domitoris imago eſt
Qui crucis impulſu (qua nõ data machina maior)
Cloſtra Acherontææ confringit ferrea portæ. Aqui
Ecce ſub hoc ſummi Iouis alite, lumine lumen la.
Phœbæum immoto cernente, ac ſæpe tonitru
Aeternam ſpoliante manum, num Spiritus eius,
Eius amor terras plumæ velamine luſtrans
Pingitur? aut etiam inferior ſententia non eſt,
Aligerum (frontem, tergumque, & colla coruſcãs
Syderibus) ſydus, mollem ſimilare columbam
Quid memorem balthеum, nitido qui fulget Bal-
honore theus
Aureus aſtrorum bis ſex? Redeuntibus annis
Quod præit, eſt Agnus ſacrati Paſchatis: & quod Aries
Inſequitur, Taurus, quem dira inſania Iacob Tau-
Per deſerta ſibi vero pro numine fingit. rus.
Sacrata Gemini, geminos ab origine natos Ge-
Iſaaci ſimulant. Soboles Dauidica quartum: mini.
Nam Cancri de more retrò veſtigia vertit, Can-
Inq; volutatur vitijs ſordentibus vt ſus, cer.
Horrendiſque ſenex corpúſque animúmque pro-
fanus
Turpat adulterijs. Leo quem diſcerpſit vt hœdũ Leo.

Fulmineus Simſon,quinto venit ordine.Sextum,
Virgo *Virginis ora refert,grauida quæ mittit ab aluo*
Pro genere humano ſponſum,fratremque patrem-
que
Libra. *Quod ſubit,hæc Libra eſt, vbi iuſto examine princeps*
Iſacidûm,pendet populi ſacra iura.Sequenti
Scorpius. *Ordine adeſt fera quæ Melitæo in littore ſanctũ*
Dente petit Chriſti præconia iuſſa ferentem:
Namque perinde poteſt ſcelerata hoc Vipera dici
Sydus,vt inficiens lethali Scorpius ictu.
Sagittarius. *Traditur Iſmael in eo qui dirigit arcu*
Tela.Sequens,ille eſt hircus quem rite Sacerdos
Perfuſus veſtes oleo deducit in arua
Capricornus. *Deſerta.Egelidam fundens,ſermone carentis*
Zachariæ eſt genus,hic regis præcurſor olympi
Apparat hoſpitium Chriſto qui crimina clari
Aquarius. *Omnia Iordanis fluuiali mergit in vnda,*
Quando piget ſcelerũ,atque malæ pia tædia vitæ
Piſces. *Intima cordis habent hominum. Piſcéſq; coruſca*
Luce duo,ſunt quos vix numinis alma,placentis
Iuſſit cum quinis hominum dare pabula quinis
Millibus,herboſo ſtagnantis littore ponti.
Aſt age verte globum , & partem qua ſibilus Auſtri
Oriõ *Naſcitur,arguti: hanc pelluſtremus ocellis.*
Eridanus *Hem,tibi ſyderea flagrans num cognitus arce*
Belliger Orion,Tauro qui proximus adſtat?
Canis *Hic eſt Nunides,ingens hic Ioſua,ſudo*
Canicula *Qui pede dulciſonas Iordanis præterit vndas:*
Inde canes Canaæ iugulat,victúmque pauore
Lepus *Victor Amorrhæum leporem pede calcat.Aſylum*
Argo *Orbis adeſt , & priſca ratis,quæ clara triumphat*
Hydra *Et maria,& ventos.En æneus anguis eremo,*

Flauenti ſinuans contracta volumine terga,
Summus Apollo micat. Fœlix en Coruus alūno
Pabula Theſbitæ qui ſuggerit. Aureus ille Coruus.
En vbi Ioſepho reſponſa prophetica crater Crater.
Sufficiuntur. Eques cœlis immiſſus eadem
En venit huc ſerie, niueáque apparet amictus Centaurus.
Veſte Macabæo: cuius tandem haſta profani
Perforat ille lupi, quo ſtincto altaria rurſus Lupus,
Thure ſacro fumāt, poſtquam temerata nefandis
Cultibus illa diu; & ſocijs concentibus vnà Altare.
Leuitæ ſacri reſonant laquearia templi.
Hanc genus Aſmonium nectit ſibi fronte coronā Corona auſtralis.
Frana Palæſtina inijciens. Piſciſque tributum
Hic dat pro Chriſto qui nos à morte redemit. Piſcis auſtralis.
Cetus & hic triduo concludit pectore vatem Cetus.
Dumq; ſua cœli narrat mihi lege figuras,
Tentat Dædaleos ignoti tramitis orbes,
Virgineámque audax Heber vrget pollice chordā
Hæc à me in fidei ſacra ſancita referri
Chriſticolæ veſtram fugiat ſententia mentem,
Aut me porticibus conferre pedamina velle
Zenonis, nexáque Deum vincire catena;
Per ſeriem & Stoici connectere dogmata fati:
Siue voluminibus cœli ventura legentem,
Chaldææ dubia amplecti myſteria ſectæ.
O procul, iſta procul mihi mens noua verba canenti
Hæc fuit vna, via depellere tædia feſſis:
Vt qui tot valles, tot hiantia ſaxa, tot agros
Hoſpitibus viduos, qui tot torrentia fluctus
Fluctibus inſanis madidæ impingentia ripæ
Hactenus enarunt, tandem potiantur amœna
Sede, polus placida lucens quam fronte venuſtet
Semper; vbi ſerpat candenti flumine riuus:
Blandus vbi verno reſpiret flamine ventus:

Excipiat

Excipiat gratos vbi ridens terra colonos
Ecquis ſcit lector, num poſtera ſecula doctis
Artibus, hanc artem peragent pietatis amore
Ducta dabúntque poli nobiſcum ſancta figuris
Nomina Sanctorum, non quæ finxere profani?
Sed repetamus Hebrum, viua qui voce meatus
Aſtrorum, chalybis poſitos in imagine narrat
Phalgo. Quid ſit Perigens, Concentricus, & quid
Triti ſcholis, Apogens, Eccentricus, atque Epicy-
clus:
Qui Mars, Saturnus, Sol, Iupiter, alma Cytheris,
Obtineant vno tria ſerta volumina gyro,
Quináque Mercurius rhetor, quatuórque Dia-
na.
Nam diuina cohors, nobis quæ repperit artem
Hanc, alios, aliíſque vaga exercere recurſus,
Et modò naturæ centro vicina, modóque
Aſtra remota videns: vt cælo excludat hiatus,
Et vacuum, & turbas quas coeco errore cierent,
Corpora mixta, polo ſubter conſperſa ſupremo,
In rotulas eſt cauſa rotas diſcindere plures
Has, quibus æternos innititur agmen in annos
Sydereum, atque adeo diſtinctis nexibus orbes
Orbibus aptauit, ſibi dent vt baſia nullo
Fine, & inoffenſo voluantur vt aſtra recurſu.
Infima ſupremis comprenſa tenentur, vt arctè
Caſtaneæ molli ſternuntur tegmine, tegmen
Tergore pullato, panni velanime tergus
Denſi, pungentis, ſpináque horrentis acuta.
Inde Aſtrolabium petit in quo Sphæra figurã,
Tranſiit in planam. Video hic ſublime polorum,
Hic video Almadaras, Almucanturas, Aſimuts.
Tu precor ignotis temeranti Muſa figuris,
Atque peregrina mihi maxima voce canenti
Parce precor: tales amat iſta ſcientia voces.
Parte

Parte ſubeſt alia Radius, cui picta tabella
Proxima palantes certis at legibus ignes
Nunciat, & ſcalas quibus ad conuexa polorum
Eſt via: dat ſoles, & habent quæ nomina menſes.
Ille manu radium torquens induſtrius artem
Metandi longinqua docet loca: mœnia quantùm
Aſſurgant terris: recaua docet intima foſſæ,
Scrutariq; plagas terræ ex cœleſtibus: & quo
Quod forma exſuperat vaga ſydera ſydus in aſtro
Conſtituit Deus omnipotens, Nadirque locauit:
Quâ ferat acceſſus varios, varióſq; receſſus
Parte carens aſtrum nulla conſcendere quanto
Tempore, qui capiti noſtro ſuperemicat orbem
Poſsit, & amotam ſpatijs quibus aſtra relinquant
Tellurem: media donet quæ linea luce;
Noctis & inſtabiles horas, horáſq; diei.
Dogmata Phalegus dociles admittit in aures:
Hæc animum arrectus dictis vigil obſtupet artem:
Arte potens Chymica magnis hoc ampliat aurum
Crementis: auidus fœcundo in fœnore ponit:
Theſaurum claro in munus memorabile donat
Hunc generi; doctumq; artem genus auget auitam.
• Vt mox inniſunt Caſtor, Mars, Cypris aduſtos
Troglodytas, Iauamq; modo, modò America regna:
Et viſura, domos mutant vaga ſydera, mundum
Vtrumq;, in geminas partes quem circulus æquat.
Haud ſecus artis honos tanta prognatus, amatus,
Eductuſq; olim Iudæo à ſanguine, migrat
Chaldæam ad gentem: dein celſa cacumina priſca
Elatus temnit Babylonis; & arua relinquens
Tigridis, Auſtrales Nili defertur ad vndas,
Clara per Aegypti diffudens dogmata terras:
Ille nouo inconſtans deceptus amore, Pelaſgis
Se, ſua committit: ſeptemplicis oſtia Nili
Rurſus amata petit, regni Ptolomæus habenas

Dum premit: hinc Arabum, pertæſus Memphios oras
Arua ſubit: ſubit hinc Latium, dein flumina Rheni.
Vos ſuper aſtrifero qui monte tot oſcula blandi,
Complexúſq; datis veri Endymiones amicæ,
Quam turba arcitenens auratis ſplendida peltis
Reginam cœli veneratur, & vndique lecto
Adſtat: & Atlantes non ficto nomine: fulcra
Vos æterna, quibus firmatur regia cœli,
Inſignes animæ quas hæc documenta ſerenant,
Heu! niſi reſtarent veſtri monumenta laboris,
Nutaret iam iam Lethes ruitura ſub vndas,
Cœlorum doctrina: vagos euoluitis annos,
Et menſes: & quo nautis incidere funem
Tempore conueniat, durámque minantia mortem
Sydera, quæ tuto hortentur ſuccedere portu
Dicitis, & quando manibus dare ſemina terræ,
Arce tenere, fero perrumpere milite vallum,
Multáque dux poſſit conferre cibaria caſtris:
Sydere quo medicus purgabit corpora, venam
Tundet, & artifici componet pharmaca cura:
Regnáque luſtrantes celeri cœleſtia nictu,
Vincitis auricomos reges: nam cuncta tenetis,
Semideique manu cœlorum vertitis orbes.
Cœleſtes animæ, mellita volumine vobis
Carmina ſuauiloquens calamus ſtillaret in iſto;
Vos decantarem, ni me dulcedine nympha
Vltima lactaret. Nam vox ſcitantis ab Hebro
Phalegi ſummiſſa meas peruenit ad aures,
Nomine quo ſuperans intacta notetur imago.
Tumq; Heber. Ille color chariſſime viuidus oris,
Illa oculi lenis dulcedo, pedumq; perennis
Mobilitas ſaltus ſimilans, calamiq;, tubæq;,
Vtréſq;, & cythara queis circuncingitur, illam
Quæ vocem, ventumq; regit moderamine docto,
Atque agiles dextræ neruos in verbere nerui

Flectit

Flectit Apollinei,nobis ſatis indicat artem.
Hæc regit harmonicos cantus:concordia diſcors
Hinc orta,& numeris lex quæ comitata ſupremum
Rectorem,quando ſtupidæ dedit otia terræ,
Et rapidas cœlis induſtrius addidit alas
Namq; vni ſua cuique polo,ſi credere fas eſt,
Vocis ab Aeternæ iuſſu præfixa canoræ
Syren,quò à ſuperis concordia metra receptem
Infima corporibus,ſacróſq; ardente ſacello
Hic choreus Angelicis ſaltator coniuget hymnos.
Aut velut artifici ructu,ſimul halitus idem
Per varios reptans tubulos inſpirat acuta
Cymbala,dulciſonos iungit queis tibia cantus:
Arte figuratos mira circumrotat orbes
Cœlorum,omniparens diuini ſpiritus oris;
Dúmque iter æternum relegunt,indulget acutis
Vocibus hoc, illudq; graui dat carmina bombo.
Senſibus hic autem plangit imago peruia noſtris
Mellea nos eadem ſymphonia: nam niger humor
Bruma,ſolúmque ſoni tibi ſunt grauioris imago.
Plegma, Autumnus, Aqua,vocem quæ tramite recto
Labitur aërius ſanguis, ver,limpidus aër,
Inſtabilem,criſpo torquentem pſalmata gyro:
Flaua bilis,feruens æſtas,& flammeus ignis,
Supra omnes tenſos referunt neruóſque ſonóſque.
Hinc nihil orbe ferum,quod non euincere cantus
Poſsit,eo numeri quia ſemina clauſa tenentur,
Vita quibus nulla eſt niſi quam dat rector olympi
Abiicit audito furioſus carmine miles
Arma,irámque:melos,triſtiſſima corda ſerenat,
Mitigat,inſanos,frenatq; cupidinis æſtus
Fœmineæ cœco formæ flagrantis amore
Extinguit flammas,atque ægri vulnera ſanat,
Bacchantum in morem tumuli ſalientis in ora,
Quem peſtis diro læſere phalangia morſu:

Obſtupet

Obſtupet hunc Cygnus; Ceruæ lęduntur ab illo;
Artibus his picta fraudatur inertia gentis.
Sectantur blandi Cytharam Delphines, Apumq;
Siſtitur arguto ſtridens examen ab ære.
Quid nequeat cantus cuius mandata capeſſat
Spiritus inſpirans animas: in pectora vatis
Quem voce, & ſacro repleat præcordia thyrſo?
Nam Deus horribiles ſi quando accenſus in iras
Intonet, ignivomo fumans effulgeat orbe,
Curuus, & intentis iam iam torquere lacertis
Fulmina acerba paret, neruos emollit, & iram,
Supplicibus votis effuſum carmen ab imo
Pectore, demulcet, ſimul vt clementia flagra
De manibus trahat, humanos vltura rebelles.
Aſt vbi vult veteris myſteria pandere cantus
Atque Hebær eloquio praxim deſcribere docto,
Iordanis quærens flumen fatale, columna
Proximus haud vltra patitur protendere Canam:
Ipſe fatiſcit: mihiq; animos iter eripit omnes,
Territat incepta prolixior orbita meta
Iam meditor refugas cœlo reuocare Camœnas,
Vnde nouam mihi venet opem; paruuſq; regreſſus
Hic ſuperare dabit ſaltu maiore quod opto.

A01 1454769

FIRMAT ME ROBORE SVO DELPHIN.

BI
X